GOTTLOB ERDM· ZEIBICHII
ARTIVM LIBERALIVM MAGISTRI

ATHLETA ΠΑΡΑΔΟΞΟΣ

E

MONIMENTIS GRAECIAE VETERIS
CONSPECTVI EXPOSITVS

INSERTAE SVNT

ALIQVOT NVMISMATVM ICONES
AC GRAECAE INSCRIPTIONES

EX AVTOGRAPHO B· FRATRIS
EDIDIT
ET

DE VSV
ANTIQVITATVM ATHLETICARVM
IN PAGINARVM DIVINARVM
INTERPRETATIONE

QVAEDAM PRAEFATVS EST

CAROLVS HENR· ZEIBICHIVS
IN ACAD· VITEMB· PROF· PVBL

VITEMBERGAE
SVMTV IO· IOACH· AHLFELDII
MDCCXLVIII

LECTORI BENEVOLO
S· P· D
CAROLVS HENR· ZEIBICHIVS

Late patet utilitas, priſcarum gentium ex conſuetudinibus, cum ſacris, tum ciuilibus, capienda, quarum intelligentia quantum adiumenti afferat Sacrarum Tabularum explanationi, dextre ſcienterque inſtituendae, quantumque lucis affundat oraculis, difficultate haud exigua laborantibus, ita a longo tempore confeciſſe arbitror Virorum Summorum Doctiſſimos, ut, idem illud exponere in praeſenti enucleatius, ſi fixum eſſet in animo, non tam parum, quam nihil, agi, a rerum eruditae ciuitatis naris exiſtimari poſſit. Quemadmodum hac ratione de re rituali, generatim conſiderata, rectiſſime iudicari ſolet a prudentioribus, ſic et partes illius ſingulae, quo plus ad Literarum Diuinarum interpretationem commodi afferunt, hoc inſigniori induſtria, auctoritate Scriptorum praeſtantiſſimorum ſpectatiſſima excitata, inueſtigandae uidentur. Dignis iam proſequerer laudibus labores Virorum Celeberrimorum nobiliſſimos, quibus ii *rem* ueterum *naualem*, *artem fulloniam*, *antiquitates nuptiales*, *ritus funebres*, *rem uehicularem*, *mores*

triturantium, *inaugurationis Regum ac Principum solennia*, argumenta alia, et exposuerunt copiose, et ad Monimentorum Sanctiorum interpretationem pererudite accommodarunt, nisi, dimissis ceteris omnibus antiquitatis eruditae capitibus, ad solam *artem* priscarum gentium *athleticam* cogitationes meas referre, et, quantum ea commodi atque elegantiae Diuinae mentis interpreti, si prudenter illius uti praeceptis uoluerit, afferre queat, breuiter strictimque explicare, haud remotum ab hoc loco uisum fuisset

Ingens est ambitus athleticarum superioris aeui consuetudinum, quarum tamen quo maior copia atque amplitudo existit, hoc minus, in delineandis iis operam nauasse plures doctrinae limatissimae Viros, admirandum uidetur. Praetereo, ex antiquioribus, STRABONEM, Orbis descriptorem accuratissimum, qui, quae in Graeciae ueteris aliarumque terrarum urbibus animaduersione digna reperit, probatissima fide recensuit. Neque hic commemoro PAVSANIAM, priori in rituum enarratione longe copiosiorem, et priscae antiquitatis plenissimum. PINDARVM attingo potius, quam excito, qui quatuor Certaminum, in Hellade florentium, genera, *ἱεροὶ ἀγῶνες* salutata, uidelicet, Olympia, Pythia, Nemea, Isthmia, elegantissima, sed

per-

perdifficili, quae ſubactiſſima etiam ingenia mirifice torſit, ſcribendi ratione, in conſpectum produxit. Commendarem SVIDAM, POLLVCEM, maxime HESYCHIVM, curis ALBERTINIS elegantiſſime poliri coeptum, et huius generis alios, propterea, quod hi cum ceteris Graiorum uocabulis ea etiam, quae in athletarum recepta ſcholis olim fuerunt, exhibent, eorundemque interpretes haud contemnendi exiſtunt. Adiicerem, ex temporum, CHRISTO recens nato proximorum, Luminibus, ARNOBIVM, CLEMENTEM, MINVTIVM FELICEM, IVSTINVM, Martyrem cognominatum, alios, qui, ubi aduerſus gentes calamum ſtringunt, earum conſuetudines plurimorum generum, non omnibus ac ſingulis perſpectas, accurate nobis ante oculos ponunt. Quos tamen haud exigui pretii Scriptores, cum non ex inſtituto, ſi a PINDARO diſceſſeris, illos perſecuti mores fuerint, ii nunc excipiant, qui aeuo, antiquiora illa tempora ſecuto, nobiſque propinquiori, inueſtigatione athleticorum rituum famam ſibi nominis conciliarunt, magnamque iis rebus lucem, ſtudio ſuo ac ſcientia, ſuppeditarunt

Commemorandus igitur mihi eſt HIERONYMVS ille MERCVRIALIS, cuius nomen doctiorum nemo obliuionis peplo inuoluit, propterea, quod is Libros ſex magno labore

et ſagacitate compoſuit, quos, eleganti doctrina refertos, *de Arte Gymnaſtica* inſcripſit, quique priſcae arti athleticae, diſtinctius cognoſcendae, uocabulis pugilum technicis, quae a Scriptoribus uetuſtis ſubinde producuntur, ſcite inueſtigandis, iiſdemque, quae a nonnullis minus circumſpecte confundi ſolent, prudenter diſcernendis, apprime inſeruiunt. IACOBI LYDII Liber, qui *Agoniſtica Sacra* uocatur, non mole quidem ſua commendat ſe, hoc inſigniori tamen laude dignus exiſtimandus eſt, quo elegantius in eodem oracula ſacra, ad antiquitates agoniſticas redeuntia, inueſtigauit Auctor, doctrinae praeſtantioris fama florentiſſimus. Hos ſuperare, et apparatu, et delectu, eruditionis uidetur PETRVS FABER, cuius *Agoniſticon*, Libros tres *de Re Athletica* complexum, tam amplam Graecarum Romanarumque Antiquitatum copiam exhibet, ut, qui mores pugilum ueterum indagare uelit, illudque Opus aut non uiderit, aut adire noluerit, nihil uideri poſſit ſummo etiam ſtudio effeciſſe. Neque tamen poenitebit, cum eodem comparaſſe OCTAVIVM FALCONERIVM, cuius *Inſcriptiones Athleticae* magna nominis claritate gaudent. Namque in his Marmora deſcribit praeſtantiſſima, ex iis effoſſa locis, circa quae Thermae olim TITI fuerunt, quae, aetate poſteriori, a TRAIANO atque HA-

DRIANO nouum nomen nactae ſunt. His igitur Thermis cum Gymnaſium adiectum Athletarum fuerit, cuius in Xyſto Marmora illa collocata creduntur, quantum inde commodi antiquitati accedat athleticae, manifeſtum erit. Eaedemque Inſcriptiones non ſolum expreſſit FALCONERIVS, uerum etiam ex Marmoribus FARNESIANIS, aliisque, quibus Viri, eruditae ciuitati aſcripti, uti ſolent, ſubſidiis, doctiſſime illuſtrauit. Tam praeſtantibus Virorum Summorum, qui ſuperiori tempore claruerunt, moliminibus adiici adhuc uelim nouiſſima illa merita EDVARDI CORSINI, Academiae Piſanae Profeſſoris, qui Florentiae haud ita pridem edi in lucem iuſſit *Diſſertationes IV Agoniſticas*, quibus de Sacris Olympiis, Pythiis, Nemeis, Iſtmiis, copioſe non minus, quam eleganter, exponitur, ita tamen, ut non tam ritus priſci temporis agoniſtici, quam Sacrorum illorum aetas, qua introducta illa ac celebrata fuerint, inueſtigetur, de eaque SCALIGERI, DODWELLI, aliorumque, ſententiae et conferantur, et circumſpecte expendantur. Cui quidem inſtituto ſummam a ſagacitate Auctoris commendationem afferri, intellectu facillimum eſt. Plura dicere nequeo de Libro, a me nondum conſpecto, cuius rationem omnem ex Diariis Eruditorum accepi

His tamen atque aliis, ſi qui dantur, eiusdem generis Scriptoribus, longe nobiliſſimis, meaque commendatione maioribus, is demum rectiſſime uti exiſtimandus erit, qui ex rituum atque inſtitutorum athleticorum farragine Sacris N. F. Voluminibus, ſpeciatim autem Apoſtolorum Commentationibus, multiplici ſaepenumero difficultate refertis, lucem foenerari aliquam circumſpecte ſtuduerit. Quodſi quis ab eorum ſolum interpretum, qui Monimenta Sanctiora ampliſſimis explanarunt Commentariis, inſtituto expetendum illud putauerit, nae is falli uehementer exiſtimandus fuerit, cum ne ipſi quidem Gloſſatorum ac Paraphraſtarum labores hanc interpretationis elegantiam reſpuant, quibus in uim uocum ueram natiuamque penetrandi, modo id compendiaria fiat ratione, uia occluſa non eſt. Quamobrem illuſtres illi Eccleſiae Anglicanae Paraphraſtae, HENR. HAMMONDVS, OBAD. WALKER, DAN. WHITBY, IAC. PEIRCIVS, IO. LOCKIVS, alii, qui dictionem Apoſtolicam tam ſcienter neruoſeque explicant, ut ea re immortalem terris ſuis gloriam concilient, longe elegantiorem multis in locis reddere, et maiori ſplendore pluribusque uirtutibus exornare potuiſſent Paraphraſin ſuam, ſi, illarum uocum, quarum notio ex Athletarum Xyſtis et Gymnaſiis arceſſenda eſt, curam habendam eſſe

in-

insigniorem, sibi persuasissent. Ipsum tamen illud, de quo dico, negotium peragi hoc facilius feliciusque poterit, si expensum fuerit, singulas illarum gentium, quibus suas inscripserunt Epistolas Viri Diuini Spiritus, consuetudinum earum amantes maximopere extitisse, nihilque eorum, quae in Commentariis ueterum prodita de exercitiis pugilum fuerunt, obscurum iisdem esse potuisse. Namque et doctrinam, et mores eorum, quos tum salutarunt, Apostoli accurate intueri consueuerant. Quemadmodum autem haud satis commodum librorum N. F. interpretem agere is poterit, cuius mentem ea subterfugiunt, quae ab HYMENAEO, PHYGELLO, PHILETO, HERMOGENE, DIOTREPHE, DEMA, ALEXANDRO, quae a Simonianis, Docetis, Gnosticis, Ebionitis, Cerinthianis, a Philosophiae, cum Platonicae, tum Pythagoricae, fautoribus, cuiuscunque generis fuerint ac nominis, ab aliis aeui Apostolici haereticis et haeresiarchis, Coetus Diuinioris tranquillitatem mirifice turbantibus, disciplinae Seruatoris nostri aduersa, in Ciuitatem Sanctiorem inuecta fuerunt, ita consimiliter, tanto accuratiorem euadere interpretem, uerissimum est, quanto intelligentior morum illorum, quibus gentes, ad CHRISTVM adductae, olim indulserant, extiterit. Quodsi igitur certum est, de quo nullius in animo dubii quid residere

 exsti-

existimo, hoc praestantiorem iudicari Arcanorum Diuinorum, quae antiquioris Oeconomiae tradita temporibus fuerunt, inuestigatorem, quo magis narum se praestiterit consuetudinum, quibus Palaestini, Assyrii, Babylonii, Tyrii, Persae, Arabes, Aethiopes, Damasceni, Aegyptii, Idumaei, Moabitae, alii populorum, uoce Vatum Diuinorum publica excitatorum, usi sunt, neque hic profecto quisquam mihi mouebit controuersiam, si, Noui Instrumenti explanatorem exacta rituum cognitione, ad ueri Exegetae personam, digne sustinendam, indigere, pronunciauero. Insignis omnino lux affunditur praestantissimo Libro *Apostolicorum Actuum*, si consuetudines gentium plurimarum, quarum olim terras suis in itineribus peragrarunt Apostoli, cum enarratione Diui LVCAE collatae, accurate excutiantur. Tum enim, quid Iouis sacerdos ante portam, quid Proseucha Iudaeorum ad ripam fluminis, quid Ephesi Neocoratus, quid purpuraria Lydia, quid honores incolarum Lystrae, PAVLLO ac BARNABAE exhibiti, quid tunicae Tabeae, aliaque plura, sibi uelint, haud obscurum erit. Ob eamque caussam non poenitebit, diligentius expendisse ea, quae Anglus Eruditissimus, NATHANAEL LARDNERVS, Presbyterianorum partibus addictus, in Libro singulari, qui, *Fides Historiae Euangelicae* inscriptus, uario sermone apud

An

Anglos, Batauos Germanosque, diuulgatus eſt, copioſiſſime diſputauit. Neque accurate aſſequetur quiſquam Epiſtolam PAVLLINAM, ad *Romanos* miſſam, niſi mores Aegyptiorum ueterum, quibus aſcitis, Deorum commentitiorum cultum, in ſe foedum, nouis gens Romana ſordibus contaminauit, ex IAMBLICHO, PORPHYRIO, PLVTARCHO, cognitos perſpectosque habuerit. Quam enim late propagata fuerit Aegyptiorum iſta Theologia ſceleſtiſſima, ex iis, quae LAVR. PIGNORIVS, in *Deſcriptione Menſae Iſiacae*, atque Abbas DE FONTENV, in libello Francogallico, de *Cultu Iſidis in Germania*, differunt, ſatis conſtare, exiſtimo. Addatur nefandus iſte Veneris Romanae cultus, qui, a ſacris Phoenicum, maxime eorum, qui Heliopolin Libaneſiam incolebant, Cinaedis oriundus, primum Thebas illatus, inde in Graeciam inuectus, a Graecis ad Romanos migrauit [a], a PAVLLO autem, primo ſpeciatim capite, grauiter caſtigatus fuit, et ſatis praeſidii cauſſae huic allatum erit. Epiſtolarum PAVLLI, *Corinthiis* inſcriptarum, utramque is demum ſcienter intelliget, qui PAVSANIAM in *Corinthiacis*, plenum conſuetudinum antiquiſſimarum, nauiter excuſſerit, atque exinde, quae

a) Legatur hac de re MATVR. VEYSS. LA CROZE, *in Vindic. Veter. Script. co[illegible]* [illegible] NVM, *p. 40.* Add. MISCELL. GRONING. *T. III. p. 643. ſqq. et 660*

quae fuerit ratio Templorum, Circorum, Stadiorum, Luctae, Brabeorum et Coronarum, quo ſaepe digitum intendit Diuinus Apoſtolus, perſpexerit. Nec dubium eſt, quin Epiſtolae, *Galatis*, *Philippenſibus*, *Coloſſenſibus*, dedicatae, multis liberari difficultatibus feliciſſime queant, ſi gentium profanarum, ac Iudaeorum, inter eas ſparſorum, mores pluribus in locis circumſpecte examinentur. Sic eam, qua *Epheſios* alloquitur idem PAVLVS, Epiſtolam ut hoc elegantius capiat interpres, ubique fere aduocet, neceſſe erit, magnum illud Simulacrum Dianae Epheſinae, in Templo illo Epheſiorum, ab Amazonibus exſtructo, collocatum, eodemque in pretio, quo Iliorum Palladium, atque Aſiaticorum Peſſinuntium, ſuperiori aetate habitum, quod a CLAVDIO MENETREIO ſcienter delineatur, et cum Maria Lauretana a MATTH. BERNEGGERO [b] haud incommode confertur. Huic enim omnis illa Epiſtola abſque omni controuerſia oppoſita eſt, pluraque in ea inſeruntur, quae pede fugitiuo multi tranſiliunt, quae tamen a Viris Doctiſſimis ad unum illum Dianae in omni Aſia cultum ſumma mentis ſagacitate accommodantur. Id ſi hic animo perpetuo agitetur, cum eorum ſententia, qui, APOLLONIVM iſtum, Tyana oriundum, ubique

que

b) *in Idolo Lauretano, cap. ult.*

que ſere oppugnare Apoſtolum, uériſimile iudicant [c], tum aliorum, qui, non tam Epheſiis, quam *Laodicenis*, inſcriptas literas fuiſſe, perſuadere nobis cupiunt [d], opinio collabaſcet. In Epiſtola, ad *Hebraeos* exarata, nihil efficiet, quiſquis ille fuerit, niſi rituum Hebraeorum, ſtante olim Tabernaculo Moſaico, illudque ſecuto Templo, et Salomoneo, et Zorobabelico, receptorum, ambitum ſacra mente comprehenderit. Ibi enim accurate delineatas mortis perpeſſionumque Meſſiae imagines ſpectatas quidem olim, nunc uero, ob exhibitum corpus, ſublatas fuiſſe, declarandum a PAVLLO erat, ut uim roburque frangeret ſententiae eorum, qui, nouam per Apoſtolos diſciplinam conflari, ex MOSIS CHRISTIque doctrina compoſitam, nugabantur [e]. Legi hic poſſunt, quae a SALOMONE VAN TILL, HIERONYMO VAN ALPHEN, et MICHAELE MAVDVIT, ſingulis Epiſtolarum, quarum a me mentio facta eſt, introductionis loco praemiſſa ſunt, doctrinae amplitudine, apparatuque, ſatis commendata

Quae

c) Huic opinioni occurrit HIERON. VAN ALPHEN, *Diſſ. II. Iſagog. in Ep. ad Epheſ.* Conf. MISCELL. GRONING. *T. I. p. 334. ſeq*

d) Sic IAC. PEIRCIVS, HENR. HAMMONDVS, IO. MILLIVS, alii, contra quos uid. Summe Reu. IO. IAC. QVANDT. *in Diſſ. ſingulari de hoc argumento, Regiom.* 1712

e) Vid. CAMPEG. VITRINGAE *Obſeru. Sacr. L. IV. c. IX.* Illuſtr. MOSHEMII *Inſtit. Hiſt. Eccleſ. Mai. Saec. I. p.* 317

Quae tamen uera ſit ratio, cur exiſtimare ita nos oporteat, ſi quaeratur, dabo eam. Videlicet, deriuanda illa erit a moribus Apoſtolorum, qui ad genium earum gentium, quas per literas allocuti ſunt, ipſo nutu Diuini Spiritus, cuius admirabilis συγκατάβασις hic ueneranda eſt, impulſi, ſapientiſſime accommodarunt ſe, ut animos earum hoc facilius flecterent. Illudque non ſolum Diui PAVLLI, afflatu Numinis tacti, moribus conuenit, ſed et ex reliquorum doctrinae CHRISTI praeconum ſcribendi ratione haud obſcure apparet. Itaque hic temperare mihi nequeo, quo minus *Apocalypſin Ioanneam* attingam, ad quam ſcite interpretandam exacta cognitione Aſiae Lydianae, ſtatuſque Septem illarum Eccleſiarum, cognitione opus eſt, quarum ad Angelos, id eſt, Epiſcopos atque Antiſtites, ſub quo nomine perquam incommode WALO MESSALINVS, hoc eſt, SALMASIVS, ipſas intellexit Eccleſias [f], IOANNES, Diuino excitatus afflatu, uerba fecit. Ideoque dubitandum non eſt, quin doctis mirifice arrideant, quae, recentiori aetate, ex uariis doctrinae generibus, temporumque inprimis ratione ac moribus, ſcienter expenſis,

f) *de Epiſcopis et Presbyteris*, p. 183. Huic tamen ſententiae oppoſuiſſe ſe et VSSERIVM, et PETAVIVM, animaduerſum eſt a b. WOLFIO, *Cur. Ph. et Cr. in Ap.* p. 452

pensis, ad difficultates Libri huius plures tollendas producta fuerunt. Prouoco ad ea, quae de haeresi Nicolaitarum, de Balaamitarum doctrinis, de Gnosticorum fastu, de Regno CERINTHI Millenario, de turbis Alogorum, de fatis Episcoporum primitiuae Ecclesiae, de Stephanephoris Asiae, de inquinatis Sardium uestimentis, de Throno Satanae apud Pergamenos, de statu Ecclesiae Ephesinae, de Thyatirenorum Ecclesia, de IEZABELE, Thyatirenorum Pseudoprophetissa, de Lydia Thyatirena, de celebritate artis Thyatirenorum purpurariae, a Viris, sua in scientia nauiter exercitatis, agitata fuerunt. Quibus si praemittantur, quae generatim, de statu Ecclesiarum illarum Asiae, non solum a Doctissimo IAC. VSSERIO, de *Asia Proconsulari* commentato, uerum etiam a THOMA SMITHO et PAVLLO RICAVTIO, de ipsis *Asiae* illius *Ecclesiis*, exposita sunt, et elegans, et accurata, suppeditari poterit plurimorum locorum, ab interpretibus, non omnibus subsidiis instructis, uexatorum, explicatio, neque ulla exiget necessitas, ut Ecclesiis illis sensum inesse *mysticum*, *typicum*, *propheticum*, *emblematicum*, cum CAMPEGIO VITRINGA, quem Libro singulari SAMVEL IOHNSON, Anglus, secutus est, inprimisque cum IO. COCCEIO, et Cocceianis, in uerba Antesignani iurantibus, nobis persuadeamus, omnibus

busque argumentorum neruis destitutam doctrinam istam de *Septem Periodis*, siue, de *septuplici status Ecclesiae Christianae uicissitudine*, in integro illo IOANNIS Libro delineata, aduersus renitentes tanto animi feruore tueamur

Iam ad liquidum a me illud perducendum est, nullam gentium earum, quas in fide sanctiori suis confirmarunt literis Viri Diuini, Certaminum illorum et consuetudinum gymnasticarum expertem extitisse. Adducam ideo potiores earum, ne nihil egisse uidear. Quod igitur ad *Romanos* attinet, meum hic non est, pluribus commemorare, quantum illi olim athletica γυμνασίᾳ delectati fuerint, quotque inter eos exercitationes conspectae, quibus cursores, gladiatores, pugiles, aliique, suas periclitari uires consueuerint. Loquantur hanc rem ii, qui ueteris Romae descriptionem, tam accuratam, quam copiosam, concinnarunt, BARTHOL. MARLIANVS, AEGIDIVS SADELER, IO. LAVRVS, ANTON. THYSIVS, alii plures. Quibus adiiciantur tot uestigia, quae, hodierno adhuc die, in pluribus Romae, fere sepultae, locis cerni, Vir Illustris, IO. GVIL. DE BERGER [g], testis fide dignissimus, commemorauit. Ex urbibus Graeciae inprimis aduoco *Corinthum*, propterea, quod ea *totius* olim *Grae-*

g) *in Stromat. Academ. p. 27. sqq.*

Graeciae Lumen extitit, iudice ipſo TVLLIO, in Oratione, *pro Lege Manilia* dicta. Hic enim Iſthmia floruiſſe Certamina, eademque funebria, in honorem Melicertae inſtituta, et nocturno maxime tempore celebrata, literarum monimentis proditum eſt. Nomen ſortita ſunt ab Iſthmo, ſiue ab anguſtiis, quibus peninſula a terra continente diſiungebatur, quaeque, ut ab aliis diſcernerentur Iſthmis, Iſthmus Corinthiacus, Iſthmus Peloponnenſi, imo et Iſthmus Achaiae, cuius in auſtrali regione ſitae erant anguſtiae illae, dictitabantur. Hunc Iſthmum Neptuno ſacratum fuiſſe, et PAVSANIAS, in uariis *Corinthiacorum* locis, et alii, referunt. Eiuſdemque ueſtigia quaedam, murorum, Templi ac Gymnaſii, partes referentia, in Montis Oneii iugo, inter uicum Cromyona, portumque, Cenchream, adhuc cerni, DAPPERI [h] fide relatum legimus. Cum autem inſigni nominis celebritate, tam a portu duplici, Cenchrea et Lechaeo, quam a ſede Proconſulis Achaiae, qui PAVLLI aetate GALLIO fuit [i], ibi fixa, deriuanda, Vrbs illa floreret, hoc facilius fides haberi poteſt Scriptoribus, Certaminum Iſthmiorum praeſtantiam eximie celebrantibus. Ex his autem is, quem dixi, PAVSANIAS, praeter locum, pugilum exercitationi

b con-

h) in Deſcript. Moreae, p. 51 i) ACT. APOST. VIII, 12

concessum, ipsas etiam athletarum, siue eorum, qui Victores in Lucta Isthmia discesserant, statuas commemorat, ibidem conspectas. Eosdemque Agones Isthmios in funesta Corinthi disturbatione, a MVMMIO facta, non intermissos fuisse, sed ea tempestate Sicyoniis commissos, donec, Vrbe restituta, ad incolas pristinos cura eorum redierit, Idem testis est. Ex quo apparebit, et, Corinthi uere artem illam gymnasticam uariorum generum in Certaminibus uiguisse, et, maximum eidem honorem ibidem exhibitum fuisse. Ex ceteris Vrbibus commemorare *Ephesum* possem, fama nominis inclytam, quam tamen, sub Vrbibus Asiae inferiori attingendam loco, iam dimitto. Solam *Galatiam* praeterire nequeo. Hanc enim terram publicis caruisse Certaminibus, is demum negauerit, qui nihil de Vrbe Ancyra, nihil de nomine atque amplitudine Galatiae ueteris acceperit. Ancyram autem Vrbem extitisse palmariam Galatiae, tum ex PTOLEMAEO apparet, a quo Μητρόπολις insignitur, et quidem ἐπίσημος, quod Codex Palatinus adiecit, tum ex Numis antiquis, temporibus GETAE, GALLIENI, SALONINAE, plurium, cusis. Vtrumque in acceptis refero Doctissimo GELLARIO [k], nemini in hoc doctrinae genere secundo.

k) *in Descript. Orbis Ant. T. II. p.* 152

cundo. Iam, cum Metropolin repraesentaret omnis Galatiae illustris illa Ancyra, cum Vrbibus accensa Νεωκόροις fuerit, cum Κοινὸν τῶν Γαλάτων, testibus Monimentis Scriptorum, exhibuerit, nemo dubitandum putet de Agonum celebritate, nisi, quid sibi uelit Vrbs Νεωκόρος, aut, quae τῶν Κοινῶν uera olim ratio fuerit, minus compertum se habere, declarare uoluerit. Horum Certaminum memoriam conseruant, omnemque ex animo dubitationem auferunt, Numi Ancyrani, sub NERONE, CARACALLA, GALLIENO, confecti, ubi Certamina Pythia, Nemea, Isthmia, Soteria, alia, Ancyranis uindicantur. His adiiciatur Marmor Ancyranum, Monimentum antiquitatis, longe praestantissimum, pluribusque Eruditissimorum Virorum commentationibus illustratum, in quo consimilia Certaminum, Ancyrae ab AVGVSTO editorum, genera spectantur. Neque uero hoc admirandum adeo uidetur, cum AVGVSTVS et Protector Ancyrae extiterit, et Conditor Vrbis dicatur IOANNI TZETZAE, in *Chiliade prima.* Quo factum est, ut uel Κοινὸν τῆς Ἀσίας, non solius Galatiae, salutata sub AVGVSTO Ancyra fuerit, eique uiuo honores exhibitos Diuinos ab Ancyranis fuisse, testetur FLAVIVS, in loco quodam, a summo tempo-

rum Emendatore, IOS. SCALIGERO [l], correcto. Haec erudite cum persecuti alii iam fuerint, nolim ab his dicta repetere, aut copiosiori enarratione persequi. Dicam potius in compendio de *Asia* illa, cui dedicauit Apocalypsin suam Diuus IOANNES, Theologus, quaeque, siue *Lydiana*, quod Tractum ueterem Lydium, usque ad Maeandri fontes patentem, ceterisque ab Asiae priscae partibus, Ionia, Phrygia, Mysia maiori, Caria, Hellesponto, Lycaonia, Pisidia, distinctum, complexa est, siue *Proconsularis*, quod, ut Romana Prouincia, Romanorum Proconsuli paruit, siue *pars* Asiae illius *inferioris*, quae, ab ATTALO PHILOMETORE Romanis testamento relicta, *Attalica* dicta est, siue *minor* et *propria*, uocitetur, haud incommodis inscribi nominibus uideri poterit. Septem numerantur Ecclesiae, Septemque earum Episcopi, quem quidem numerum et VII *Lychnuchi*, quorum in medio CHRISTVS cernitur, et VII *Stellae*, quas manu sua comprehendit, maxime autem τὰ ἑπτὰ Πνεύματα [m], quorum pacem et gratiam IOANNES iis apprecatur, uere respiciunt, tametsi uaria uariorum de extrema phrasi iudicia existant [n].

Atque,

l) *de Emend. Temporum, L. V. p. 324*
m) APOCAL. *I. 4*
n) IO. VAN DEN HONERT, *de VII. Spir. Apocalypt. Trai. ad Rhen. 1733.* MISCELLAN. DVISBVRG. *T. II. p. 189. sqq*

Atque, hanc ſatis illuſtrem terrarum partem flore caruiſſe rei athleticae, exiſtimari haud poterit, ſi uel ſola conſideretur *Epheſus*, quae Aſiae illius Μητρόπολις extitit, et Κοινὸν Ἀσίας, tum in Numis, tum in Monimentis ſcriptis, repraeſentat. Itaque recte FLAVIVS[o] Epheſum hanc Πόλιν dixit πρωτεύουσαν τῆς Ἀσίας. Ecquid enim clarius eſt, Numis illis Epheſiis, ſub VESPASIANO, TRANQVILLINA, GALLIENO, SALONINA, aliis, percuſſis, ubi πρῶτοι Ἀσίας Epheſii ſalutantur. Confer teſtimonium Epheſiorum[p] ſpectatiſſimum, quo Vrbis Νεωκόρου titulo Epheſus cohoneſtatur. Sic HESYCHIVS. Ἐφέσια, ἀγὼν ἐν Ἐφέσῳ ἐπιφανής. Cuius etiam Certaminis mentio fit apud THVCYDIDEM, ad quem SCHOLIASTA annotat, in honorem Dianae actum illud fuiſſe. Atque ſic haud incommode PAVLLVS[q], ad TIMOTHEVM, Epheſi commoratum, ſcribens, mentionem facere poterat *Luctae*, *Curſus*, *Iuramenti athletici*, *Brabei* et *Iudicis*. Adde praemiſſam ἀνάλυσιν, ac σπονδὴν, ad *Libationem* ex conuiuiis diſcedentium referendam, ut conſtet,

 plenum

VRIEMOET. *de VII. Spirit. Dei, in* EIVS *Obſeruation. Miſcell. p. 164. ſqq*

o.) *Antiqu. Iudaic L. XIV. c. 17*

p) ACT. APOST. *XIX. 35*

q.) *II.* TIMOTH. *IV. 6. 7. 8*

plenum hunc locum esse rituum Graecorum. Eidem alibi [r] auctor est, ut, neglecta γυμνασίᾳ σωματικῇ, pietatis instituat exercitia, quod, si, dimisso BRAVNIO [s], qui *de Lege Ceremoniali* hic cogitat, ad Ephesiorum Certamina solennia accommodauerimus, omni iure τὰς βεβήλους καὶ γραώδεις μύθους, quos praemittit PAVLLVS, de commentitio Dianae in Vrbe Epheso cultu interpretabimur. Huius generis uocabula, quibus PAVLLVS hic utitur, tametsi ipsae gentium consuetudines, in oculos incurrentes, subministrare potuerint, haud tamen inconuenienter uis eorum ex terris Ciliciis, et lectione Scriptorum Graecorum Tarsica, aliqua ex parte arcessenda uidetur. Illius enim eruditionis PAVLLINAE, cuius publicum se aduersarium, Libro singulari, IOANNES LAMIVS, Doctor Florentinus, professus est, utraque illarum Epistolarum, TIMOTHEO inscriptarum, non contemnenda documenta exhibet, illudque efficit, ut hoc insigniori admiratione prosequamur iudicium Theologi quondam Celeberrimi, PHIL. IAC. SPENERI [t], PAVLLVM, perhibentis, in posteriori Epistola, ultimis uitae temporibus, corpore iam fatiscente, in uinculis Romanis exarata, omni abstinere eruditione atque eloquentia studu-

r) *I.* TIMOTH. *IV.* 7. 8

s) *Select. Sacr. L. I. c. X. p.* 140

t) *Concion. Funebr. P. I. p.* 112

ſtuduiſſe, ſoliuſque doctrinae ſanctioris, abſque pompa proponendae, curam habuiſſe. Quod, parum abeſt, quin priſcae illi, cum Platonicorum, tum Pythagoricorum, ſententiae, de ideis humanis, proximo ante mentis diſceſſum tempore fugientibus ac diſpalatis, frigidam affundat. At, praeter haec, etiam alia, eidem Epiſtolae intexta, et priſcum eloquentiae ad exercitium referenda, aliter ut exiſtimemus, nos permouere poſſunt. De Epheſo a me dictum eſt, cui tamen ſubiici poterunt reliquae minoris Aſiae Vrbes, Agonum flore gauiſae. Velim igitur, huc aduocari *Pergamum*, in IOANNEA illa Apocalypſi ſalutatam. Haec non ſolum Νεωκόροις in Numis adiicitur, quorum plerique apud MORELLIVM, TRISTANVM, PATINVM, alioſque, cernuntur, quibus Statua illa Pergamena adiungatur, quae GAIO AVLIO AVLO IVLIO QVADRATO erecta eſt, uerum et Κοινοβȣ́λιον toti olim Aſiae exhibuit. Et profecto ipſa Luctarum ſolennium memoria ſeruatur in Marmoribus GRVTERIANIS, SPONIANIS, ARVNDELLIANIS, ex quibus haud inſcienter id, quod probandum erat, conficitur. Solam adhuc *Smyrnam* prioribus adiungere Vrbibus liceat. Hanc, ob artem pugilum γυμναςικὴν, haud incelebrem fuiſſe, uel exinde ſit ueriſimile, quod in omnibus fere cum praero-

 gatiuis,

gatiuis, quibus et *Ephesus*, et *Pergamus*, insignita fuit, iura *Smyrnae* conueniunt. Sic enim, in Numis, et Smyrnaei, et Ephesii, et Pergameni, πρῶτοι Ἀσίας salutantur. Sic in iisdem concordes cernuntur Smyrnaeorum Nemesis, Pergamenorum Aesculapius, Ephesiorum Diana. Ipsa etiam Olympia Smyrnae in antiquis occurrunt Marmoribus, ut discernantur ab Olympiis Atticis, ab aliis, quae Athenis habita, ab aliis, Alexandriae celebratis, quo ex Eliaca regione, sede Olympiorum propria, migrauerint. Ad quae Olympia Smyrnae Syriam, Aegyptum, Graeciam, Libyam, Cyrenaicam, Italiam, Asiam, ciues, athletas, quadrigas, transmisisse, scienter a Viris, rerum intelligentibus, demonstratum est. Haec uera uidetur esse ratio, cur apud IOANNEM tres illae Ecclesiae, Ephesina, Smyrnensis, Pergamena, ceteris anteponantur omnibus, quod animaduersione haud indignum existimandum est. Adhuc commendo locum PAVSANIAE [u], qui ARTEMIDORI TRALLIANI meminit, in publica Smyrnaeorum celebritate egregias ac repetitas uictorias reportantis. De ceteris si quaeratur Asiae Proconsularis Vrbibus, *Sardibus*, *Philadelphia*, *Laodicea*, *Thyatira*, neque eas his prorsus destitutas festiuitatibus fuisse, existi-

mare

u) p. 485

mare licebit. Quanquam enim eorum in ſententia acquieſcere uix licet, qui, ſingulas harum Vrbium ueluti Metropoles Aſiae illius, pari fere iure in pleriſque gaudentes, conſiderari, iubent ˣ, nihil tamen impedit, quo minus, et hiſce priſcas athletarum conſuetudines haud fuiſſe incognitas, arbitremur. Adfuerunt minimum earum incolae ſacris illis Certaminibus, ſiue a Smyrnaeis, ſiue a Pergamenis, ſiue ab Epheſiis, editis ac celebratis, quod copioſa ut conficiam demonſtratione, uix opus eſſe intelligo. Septem tamen illae excitantur Eccleſiae, non plures, quae Aſiae Lydianae accenſebantur, ut Hierapolis, Magneſia, Tralles, aliae, propterea, quod his, earundemque Stellis, ſiue Epiſcopis, caliginoſa quaedam afflictionum nubes imminebat, et Lucta cruenta, qua ſumma opus erat fidei conſtantia, ne glorioſiſſimum Victoriae Brabeum, ab ipſo Seruatore oculis obiectum, deſpicere uiderentur. Itaque *νικῶν*, qualem CHRISTVS deſiderat, is demum euadit, qui Luctatorum partes ſanctiſſime expleuit. Sufficiant haec de VII Aſiae Eccleſiis. At, quid de *Hebraeis* pronunciandum erit, ad quos ſcribens, PAVLLVS,

 Luctas

x) VSSERIVS, *de Epiſcopor. et Metropolitan. origine, p. 21. ſq.* PET. DE MARCA, *de Concord Sacerd. et Imper. L. VI. c. I. §. 3.* HAMMOND. *Annot. ad Apocal. I. 3.* VITRINGA, *in Anacr. Apocal. p. 12. 13*

Luctas nonnunquam et Certamina excitat, qui tamen rituum athleticorum expertes ſunt exiſtimandi. Reſpondebo confeſtim, ſed paucis. Sacrorum Agonalium uſum ipſis iam Maccabaeorum temporibus inuectum per IASONEM fuiſſe, eorundemque uaria genera, ad AVGVSTI Romanorumque gratiam captandam, ab HERODE Magno, Rege, celebrata, qui Caeſareae, Hierichunti, Hieroſolymis, Quinquennalia Sacra edidit, FLAVII IOSEPHI fide declaratum eſt [y]. Quodſi eorum ſententia, qui, *Sapientiae* Librum SALOMONI, Regi, uelut Auctori uero, uindicandum eſſe, Verſionum antiquarum, Graecae, Syriacae, Arabicae, inſcriptione, et NACHMANIDIS inprimis Libro quodam, adducti, perſuadere aliis annituntur [z], omni maior controuerſia exiſtimari poſſet, forſitan, et ipſum Luctae uſum illius uiguiſſe aetate, euictum eſſet. At, rectiſſime monitum a Viris Doctis [a] meminimus, uel ſola illa uocabula, στεφανηφορεῖν, βραβεῖον, ἀγὼν, ἆθλα, liquidum reddere, quam lubrico inſideat fundamento opinio illa, non rationum fulcris,

y) Lege LYDII *Agoniſt. Sacr. cap. XXVIII.* et Celeb. IKENII *Antiqu. Hebr. p. 601*

z) Conf. pluribus de hac quaeſtione DAN. SALTHENII *Diſſ. qua, Libri Sapientiae Auctorem* PHILONEM, *Alexandrinum, eſſe, oſtenditur, p. 1. ſqq*

a) FABRIC. *Biblioth. Gr. L. III. p. 735.* BENZELII *Syntagma Diſſertatt. T. I. p. 321*

fulcris, ſed magnorum duntaxat nominum auctoritate, firmata, quae, tametſi ſtabiliendae a Romanenſibus Diuinae illius Libri Origini mirifice inſeruiat, ipſis tamen Coetus Pontificii Sodalibus, BOSSVETO, VALESIO, SGAMBATO, PINEDAE, probari non potuit, ſed effecit, ut, PHILONIS, ſiue Senioris, ſiue Alexandrini, aetati, magis conuenire hoc ſcribendi genus, perſuaderi ſibi patiantur. Acquieſcimus in eo, quod de aetate Maccabaeorum dictum eſt, ex quo, Iudaeorum omnes haud reſpuiſſe artem illam γυμναστικὴν, euidens erit. Et profecto, ſi conſideretur, Iudaeos, tum inter omnes gentes ſparſos, tum Hieroſolymis atque in Palaeſtina Romanorum imperio ſubiectos, ueram explorare rationem potuiſſe Agonum, tam Graecorum, quam Romanorum, facili conſici negotio poterit, neque eos gentium ritus, qui ad rem athleticam ſpectare uidebantur, ignotos prorſus genti Iudaicae eſſe potuiſſe

Expendatur nunc illud, quod haud negligendum eſſe exiſtimo, plura Epiſtolarum PAVLLINARVM, aliarumque, locis argumenta inſpergi, quorum in explanatione animos gentium ad ueterum Athletarum conſuetudines reuocare Apoſtoli potuerint. Occurrit hic Lucta illa grauiſſima, quae carni cum ſpiritu, Adamo ueteri cum homine nouo, uehemen-

hementiſſimo libidinum aeſtui cum ſacris Diuini Flaminis motibus intercedit. Itaque a γυμνασίᾳ illa corporis Sanctos tum retrahunt, et compellunt ad meditationem illius Luctae, grauioris multo ac difficilioris, quae, ſi CHRISTO adeſſe uelint, ſubeunda ſit. Hic enim cum hoſtibus dimicandum eſt, quorum ſimiles neque in Latio, neque in Hellade, conſpecti ſunt. Hi non tantum ea mente accedunt, ut antagoniſtam proſternant, ſed iis etiam inſtructi uiribus ſunt, ut, ſi leuioris armaturae pugilem inuenerint, is facile ſuccumbat. Quo factum eſt, ut tot iam ſtrages hominum, uiribus pugnandi deſtitutorum, ac mollibus effeminatiſque animis, ob conſpectum hoſtem trepidantibus, praeditorum, uel ſola σκιαμαχίᾳ ac *uentilatione*, qui ἀέρα δερόντων [b] mos eſt, inuaſori occurrentium, perfecerint. Eorum incurſiones grauiſſimae ſunt, frequentiſſimae, conſtantiſſimae. Nunquam in conflictu fatiſcunt, aut relangueſcunt, ſed, noua ſemper uirtute praediti, repetitis ictibus pectus concutere minus exercitati aduerſarii tentant. Si nihil efficere poſſint in nonnullis, ſtrenue renitentibus, expectant fatalem illam horam, qua exeundum eſt e uita. Tum enim, hominem ſumma ſaepe laborare imbecillitate, intelligunt, fluctuare, titubare, expecta-

b) I. COR. IX. 26

expectatione rerum futurarum anxium, indeque fit, ut, hostem, per omnem uitam fortissimum, moribundum, quo se uertat, uix habere, sentiant, hocque prosperiori successu ingredientes, hunc inuadant, prosternant, antequam ad conflictum accingere se possit. Itaque Luctam illam, longe grauissimam, Christianis saepenumero delineant Apostoli, eosque adhortantur, ut semper stent, uiribus instructi, hostem, in supplantandi arte exercitatissimum, expectantes, et Sacrae Luctae rationem circumspecte expendentes. Quidni enim, artes eludendi Cacodaemonis uiribus esse praeditos Athletas CHRISTI, existimandum fuerit, cum uel ipsum Dei Filium, qui se ἰσχυρότερον, *ualidiorem* tenebrarum principe [c], uocitat, in Sacra illa, sed puluerulenta, eoque grauiori, non imaginaria, ut MATTH. TINDALIO, Deistae Anglo, uisa est [d], Lucta, IACOBVS, humana imbecillitate, quae singulis inest mortalium, praeditus, ita fuerit adortus, ut ingentem illam laudem reportauerit, se non solum pugnasse cum Deo et homine, uerum etiam superiorem discessisse [e]. Inest in iis, qui in Sacro illo Certamine, et Pugilatu Spirituali, suas periclitari uires cupiunt, Spiritus aliquis, qui ipsa

c) LVC. XI. 22

d) Contra quem uid. Magnif. DEYLING. *in Obseru. Miscellan. p. 819. sqq*

e) GENES. XXXII. 28

ipſa Patris Filiique eſſentia, cum eaque uiribus Vtriuſque ac potentia, per aeternam illam myſteriique pleniſſimam ἐκπόρευσιν ita donatus eſt, ut par Vtrique dignitate habeatur. Is igitur, tantum abeſt, ut ſpectatorem agat otioſum, ubi Sanctis cum hoſte congrediendum eſt, ut potius Ipſe adoriatur illum, Ipſe in conflictu laboret, Ipſe uictoriam reportet. Quemadmodum CHRISTVS, quem Pater, PETRO teſte [f], ἔχρισε Πνεύματι ἁγίῳ καὶ δυνάμει, ut liberare poſſet πάντας τοὺς καταδυναστευομένους ὑπὸ τοῦ διαβόλου, huius olei efficacitate renitenti Cacodaemoni fortiſſime obſtitit, ſic ea re mirifice adhuc excitat Athletas ſuos, ut, eiuſdem olei uirtute confiſi, uires colligant, omnique abiecto timore, quo animum reſumit antagoniſta periclitans, ad extremum ſpiritum hoſti inſiſtere annitantur. Vicit hic Spiritus in cruentis illis Diuinae Veritatis Teſtibus, quorum mentes, cum immani hoſtium ferocitate colluctantes, ſacra praepotentique uirtute ita repleuit, ut nulla mortis formidine, nullo doloris ſenſu, nullo tormentorum fragore, nulla tyrannorum rabie, frangerentur, ſed, ad cruces, ad rogos, ad leones, promti hilareſque, ueluti ad nuptiales epulas,

f) ACT. APOST. X. 38

las, festinantes, in ipso mortis funestissimae articulo inuicti immotique stantes conspicerentur. Sic de STEPHANO, Protomartyre, caussam suam coram Synedrio animose perorante, Diuinique Spiritus robore consortato, quod legitur in Monimentis Sacris, commemoratione dignissimum est. Ipse CHRISTVS, Seruator, Athletae huic laboranti eminus conspectus, hac illius Lucta ita delectatur, ut, proximus Patri in Throno, hic *stet* [g] ad dextram, non sedeat, eaque re animum addat Martyri suo, ne in conflictu ultimo succumbat, sed, Spiritus, cuius *plenus* ibi dicitur, uiribus confisus, humanae carnis, nonnunquam fatiscentis, imbecillitatem mascule confirmet. Iis enim, cum ad ipsius CHRISTI, qui μάρτυς ὁ πιστὸς IOANNI [h], πρῶτος μάρτυς GREGORIO, urbe Nazianza oriundo, μέγας ὁ μάρτυς aliis ex prisco Doctorum Christianorum Coetu [i], salutatur, exemplum mores componerent, Calix Illius bibendus fuit, summarum calamitatum mero repletus, et Baptisma subeundum, quod cruentum dictitatur. Itaque fieri aliter non poterat, quin insignem Luctae grauitatem sentirent quidem, sed, sanctitatem etiam illius, uelut ἱεροῦ ἀγῶνος, in

g) ACT. APOST. *VII. 55. 56*

h) APOCAL. *I. 5*

i) Vid. IO. FABS, *de Hebdomade Magna, L. I. c. VIII. p. 85*

in gloriam Numinis et CHRISTI instituti, contemplantes, Spiritus Diuinioris efficacitate omnem aduersi sensum ualidissime propulsarent. Quanquam igitur, SIMONEM CEPHAM, ad supplicium crucis rapiendum, eo ductum iri, Seruator nunciat, *quo ire noluerit* [k], naturali mortis horrore, uel Sanctos Dei Viros agitante, respecto, tantum tamen abest, ut hac fati contemplatione animus frangatur Apostoli, ut potius, uicto carnis reluctantis sensu, atque expensa Numinis gloria, morte illa promouenda, Coetui disperso [l] animose indicet, fore, ut propediem tabernaculum deponat corporis sui, CHRISTI in uoluntate, olim significata, acquiescens. Hanc Sanctorum Luctam Seruator ipse toties respexit, quoties per IOANNEM, Theologum, Angelorum Asiae singulis, eorundemque auditoribus, acclamat, ut summa utantur circumspectione, ne, ad supplicia ducti, iacturam Victoriae faciant, illiusque gloriam hostibus relinquentes, Martyrii Palmam spernere uideantur. Haec omnium Epistolarum, iis inscriptarum, clausula est, coniuncta cum commemorabili illa formula, qua excitandi sunt, ut auribus apertis dicta excipiant, et Victoriae laudem cum Praemii praestantia sanctissime expendant. Vt autem eo alacriores

res

k) IOANN. XXI. 18 l) II. PET. I. 14

res animoſioreſque Sanctos reddant Apoſtoli, non tam humana, quam Diuina quadam ui rem illam geri, ſignificant, quae in pugnantibus inſit, eorum animos incendat, lacertos confirmet, ſingula corporis membra agitet, Oleoque Sacri Spiritus nobiliſſimo, omnes aduerſariorum artes feliciſſime eludente, ita perfundat, ut Victoria potiri, dummodo uelint, certiſſime queant. Non igitur metuenda eſſe Luctatori Chriſtiano, acclamant, uel Satanae ludibria, uel mundi odia, uel carnis titubantis querelas, ſed, omnes illos hoſtes, tametſi ferociſſimi uideantur, ſacro illo, quod Spiritus ſuppeditat, uirium robore ſuperandos. Itaque erigunt eos ſpe Victoriae certiſſima, beneficio Seruatoris, in iis et pugnantis, et uincentis, poſt Luctam expectandae, non temporariae illius, qualis olim Graecorum Romanorumque uincentium fuerat, ſed aeternae, qua Corona Iuſtitiae, non ex olea, lauro, eſculo, apio, pinu, flexa, ſed longe glorioſior ac perennior, ex Horto Numinis, Paradiſo Animarum, collecta, atque auro gemmiſque coeleſtis gloriae diſtincta, ſuppeditetur. Hac Corona, quam ipſe CHRISTVS, in Agone conſeruatus, poſt Coronam Synagogae ſpineam accepit, qui exornetur, hoc brabeum, nemini Victorum negatum, qui capeſſat, hunc ipſius

Sacroſanctae Triados in conſpectum uenire, pace aurea poſt conflictum, requie dulciſſima poſt labores, praeſidio Numinis poſt furorem hoſtium, perfrui, uitamque agere, nunquam conſummandam, annunciant. Adiiciantur Palmae, publicum ſpectatiſſimumque uirtutis athleticae praemium, quo donati coronati Victores, candidis ornati tunicis, et Byſſo Iuſtitiae[m] tecti, in plateis Hieroſolymorum, luce Agni colluſtratis, inter iubila incedunt, et coram Deo atque Agno ἐπινίκιον canunt, eodemque non ſuae, ſed CHRISTI, Diuinique illius Sanguinis, uirtuti omnem Victoriae gloriam acceptam referunt. Et, quam quaeſo praeclara ſunt, quae IOANNES, per eumque CHRISTVS, IOANNI, in ipſa ἡμέρα κυριακῇ, qua Victor ex rupe ſepulcrali egreſſus erat, conſpectus, Angelis Aſiae, eorumque Eccleſiis, poſt Victoriam, in tam turbido rerum ſtatu, Ciuitati Dei imminente, non ſine ingenti labore, uiriumque contentione, expectandam, pollicetur. Offert iis dapes opiparas, et conuiuium, priſco illo Athletarum in Aſia longe lautius ac magnificentius, ob lignum Paradiſi coeleſtis, et Manna reconditum, tum deguſtandum. Quantum ſolatii ſuppeditant abſen-

m) APOCAL. XIX. 8

abſentia mortis, hoſtis grauiſſimi, albi donatio calculi, noui nominis impoſitio, potentiae inſignioris ſuper alios collatio, columnae in Templo Iehouae erectio, ipſe denique Synthroniſmus cum Leone ex Tribu Iuda, Palmas Victrices capiente, glorioſiſſimus. Haec ea ſunt praemia, longe nobiliſſima, quae Athletis conſtituuntur Chriſtianorum, quaeque nulla priſcarum gentium uel exercitatiſſimo porrigere Athletae, aut ſpectatiſſimo Victori, potuit. Horum conſideratione, ſanctiſſime ac frequentius conſtituta, refici debebant animi Chriſtianorum in Aſia, qui, non, ut quorundam fert opinio, ſub NERONE et CLAVDIO, Romanos potius, quam in Prouinciis Graecis atque Aſiaticis degentes, Sanctos affligentibus, uerum ſub DOMITIANO [n], diriſſimis expoſiti uexationibus, uim CHRISTI uictricem expetebant. Itaque ea ſententia, qua, in Apocalypſi IOANNEA, ad Chriſtianos Lydianos, Septemque eorum Eccleſias, aduerſus mala imminentia confortatas, cum GROTIO animaduerti, THEOLOGI BATAVI [o] iubent, tantis non premi uidetur periculis, quanta ineſſe in eadem CAMPEG. VITRINGAE [p], BOSSVETI Syſtema

n) DODWELL. *Diſſert. Cyprian. XI. §. XVII.* VITRINGA *in Anacr. Apocal. p. 9*

o) Vid. IVDIC. THEOL. BATAV. *de Crit.* SIMONIS, *Ep. I, p 19*

p) *Anacr. Apocal. in* [illegible]*raef.*

ma ſequenti, non prorſus probanti, uiſa ſunt, modo limitibus non anguſtiſſimis, quibus Sigilla, Tubae, Phialae, quae uocem CHRISTI, Athletas hos excitantem, ſequuntur, comprehendi commode nequeunt, circumſcribatur

Quae a me de Sanctorum Lucta diſſerenda hactenus fuerunt, ne mei oblitus inſtituti uiderer, primae ſaltem lineae exiſtimandae ſunt, in argumento illuſtri, dignitate ſumma praedito, latiſſimeque patente, pro uirium mearum mediocritate ductae. In cuius inueſtigatione utrum aliquis doctiorem, elegantiorem et copioſiorem, ſe exhibuerit, IOANNE ARROWSMITH, qui, in *Tacticis Sacris*, Chriſtianum pugnantem, uincentem, triumphantem, repraeſentantibus, ingenii felicitatem, iudicii aciem, lectionis copiam, oſtendit, et eruditiorum, et ſapientiorum, iudicio relictum eſto. Ea uero, quae de uſu Antiquitatum Athleticarum, quem Monimentorum Diuinorum interpreti ſatis amplum atque inſignem illae exhibent, diſputata ſunt, Doctiſſimum inprimis LYDIVM permouerunt, ut plures Sacrarum Paginarum locos, qui ex Athletarum moribus lucem, haud ſpernendam, nanciſcuntur, et colligeret, et, digno Viri tam praeſtantis labore, nauiter excuteret. Cuius etiam conatus a commemorandis iis, quae

huc

huc redire uidentur, uocabulorum ac phrasium ponderibus, retrahunt me, haud ignorantem, et locos, a LYDIO illuſtratos, copioſius amplificari, et alios, ad rem athleticam pertinentes, eorum adiici numero potuiſſe. Haec tamen praefari uolui, antequam ad laborem b. Fratris, quem Tuo nunc conſpectui, *Lector Erudite*, ſubiicio, me conferrem. Videlicet, excitatus ille et doctrina, et meritis, eorum, qui labore, haud contemnendo, cum ipſos Athletarum ritus inueſtigarunt, tum Sacra in hoc antiquitatis capite cum profanis compararunt, in conſimili aliquando argumento uires periclitari ingenii coepit. Vt igitur priſcas Hellados Latiique conſuetudines pluribus iam annis nauiter indagauerat, inquiſitisque aſſidua induſtria Scriptoribus utriusque gentis antiquiſſimis, Marmoribus uetuſtis, maxime uero antiquis Numiſmatum iconibus, quantum inde adiumenti Sacris profaniſque accedat Scriptoribus, intellexerat, ſic ea re effecit, ut ne ipſis quidem Theologis, quos, eruditionem ſaecularem, ad Sacra applicatam, pro ſpoliis Aegypti, in Canaanem inuectis, haud incommode haberi poſſe, non praeterit, conatus illius improbarentur. Atque hac ratione, in eo, quem manibus Tuis porrigo, Libro uerſatus eſt. Non enim

 ſolum

ſolum ea perſequi ſtuduit, quae, ad genus aliquod Athletarum Graeciae, qui Παράδοξοι olim uocitabantur, ſpectantia, ab HIERONYMO MERCVRIALI, FABRO, FALCONERIO, LYDIO, aliis, uel plane praetermiſſa, uel pro dignitate nondum expoſita, uideri poterant, ſed multis etiam Scriptorum Sacrorum, Diui ſpeciatim PAVLLI, et IOANNIS, Theologi, oraculis, plurimum lucis, quam in re inprimis rituali ſaepenumero adhuc expectant, affudit. Singula eorum, quae copioſa orationis ſerie nolim iam perſequi, ſubductis probe rationibus ab eo acta ſunt, non animo praecipitato, aut calamo, mentem praecurrente, exarata, ſed iudicio bene expenſa, neque negligentiori opera confecta. Illudque ipſa Scriptorum priſcorum, antiquorum Numiſmatum, et Inſcriptionum Graecarum, quarum tamen diuelli lineas et forma libelli, et typorum magnitudo, iuſſit, inueſtigatio, ſpinarum ſaepenumero ueprìumque plena, ab Auctore autem minus oſcitanter inſtituta, Lectorem, rerum earum intelligentem, docere haud obſcure poterit. Hoc dolendum eſt, non uidiſſe fructum laboris ſui Conditorem deſideratiſſimum, ſi tamen ſortem dolere illius fas eſt, qui, ad ſplendidiſſimam Athletarum CHRISTI Panegyrin euocatus, ſuperato ac proſtrato hoſte illo,

quem

quem PAVLLVS[q] τὸν ἔχατον ἐχθρὸν dixit, Palmis ornatus Victricibus, Olea pacis sempiternae insignitus, Lauro iustitiae redimitus, atque ad Coeleste Victorum Epulum perductus, Deo, CHRISTOque, Leoni, usque ad hunc diem in suis uincenti, assidet aeternum. Noli uero opinari, *Lector Humanissime*, ex schedis Fratris collecta, et tumultuaria ratione composita, haec Tibi suppeditari. Integrum libelli exemplar adfuit, ipsa Auctoris manu post curas posteriores descriptum, ut sine ulla difficultate subire prelum potuerit. Subiit etiam, quoad priores plagulas, proximis ante obitum illius diebus expressas. Nihil igitur mihi, praeter solum praefandi laborem, prelique curam, uindico. Si quis tamen extiterit, qui aliquam, in imprimendo libello molis admodum exiguae, tarditatem, memini enim, ante anni fere interuallum significatum eum in Diariis Eruditorum fuisse, exprobrare mihi ueritus haud fuerit, hunc, ut sibi persuadeat, obseruanter precor, non mea accidisse culpa, quicquid hic factum est. Neque opus erit, ut pluribus exponam, quibus ex caussis magna libelli pars fuerit resecta, quam alio propediem habitu ut suis usurpent oculis, qui huius generis pabulo

q) I. KORINTH. XV. 26

bulo paſcuntur, fore, confido. Quod ſupereſt, *Lector*, opuſculo hoc in rem Tuam utere, Auctoris memoriae aliquem in mente, haud ingrata, locum relinque, ipſiuſque cineribus, Σάλπιγγι Θεοῦ ex umbris ſuis aliquando euocandis, et Goelis, Victoris, uirtute colligendis, leuem in crypta terram precare.

Scribebam in Academia Vitembergenſi,
in Vigiliis Diei Palmarum, A· R· G
cIɔ Iɔ CC XLVIII

ATHLETA
ΠΑΡΑΔΟΞΟΣ

CAPVT I

Athletarum summa existimatio apud Graecos, selectioribus exemplis probata. Definitio Athletae παραδόξου

Moueor ego fama nominis Athletici, ut hominum, tanta in luce ueteris Graeciae uersantium, genus quoddam, idque fortasse non satis notum, ne nimis obteratur laus tantae uirtutis, aliquanto consideratius spectare, et, quantum possim, luculentius explanare, animo statuam, in eiusmodi rebus, arbitratus, haud male tempus operamque collocari. Nam, quo grauiores sunt aerumnae, quibus premi fatigarique, miserandum in modum, Athletae solent, eo praeclarior, omnique maior praedicatione, laus illa censetur, quam ludorum agonumque consequuntur uictores. Nec uero solum magnis in laudibus tota fuit Graecia, uictorem Olympiae citari, quam quidem gloriam nunquam e memoria, uult, dimitti, Gemma illa Goriana, Victorem ostentans Olympiae, cum titulo, quem SIMON BALLARINVS,[a] Episcopus Carpentoractus, ut nuper monuimus,

a) BALLAR. *Animadu. in Muf. Flor. Gor. p. 11. Carpentor. 1743*

mus,[b] ita legit, ΜИΗСΘΗτι (hoc est, μνήσθητι) ΟΛΥΜΠΙΑС· *Memineris Olympiae*, sed aliis etiam certaminibus Graeciae qui discessisset superior, hunc amplissimis honoribus, scimus, ornatum.

Κῦδος γὰρ νέῳ ἀνδρὶ, φέρειν ἀπ' ἀγῶνος ἄεθλον,

Nam gloriae ducitur uiro iuueni, praemium ferre certaminis,

ut ait NESTOR, apud QVINTVM SMYRNAEVM.[c] Qua re princeps ille Lyricorum Graeciae, Thebis in Boeotia oriundus, haud Boeotico ingenio, Victorias Hieronicarum, hoc est, eorum, quibus in Olympiis, Pythiis, Nemeis, Isthmiis, palma obtigit, integro libro, excellenter sane cumulatisque laudibus, est persecutus. Tanta Coronae fuit opinio, his ludicris partae, ut non tam Victor, quam *patria ab eo*, diceretur, teste PLINIO,[d] *coronari.* Quo modo THEOCRITVS, Olympionices, in Epigrammate Graeco[e] celebratur,

Ὃς πατέρων ἀγαθῶν ἐστεφάνωσε πόλιν,

Qui praeclarorum parentum urbem coronauit.

Igitur

b) NOV. ACT. ERVD. 1746. p. 210

c) Q SMYRN. Παραλειπομ. IV. 322

d) PLIN. *Hist. Nat.* XVI. 4

e) ANTHOLOG. GR. *lib.* I. *p.* 2. *edit.* H. *Steph.*

Igitur ipſi interdum parentes, cum, filios ſuos uictores certaminum pronuntiari, praemioque donari, uidiſſent, prae gaudio ſubito expiraſſe, memorantur, ut DIAGORAS Rhodius,[f] ut Spartiates CHILON,[g] is, qui numeratur in ſeptem ſapientibus. Quid, quod iidem uictores, ob id ipſum, et Diis pares ponuntur, quippe Ἰσόθεοι, ut LVCIANVS[h] et DIONYSIVS HALICARNASSENSIS[i] dicunt, habiti, ſeu, ut HORATIVS,[k] *ad Deos eueeti*, et, ne quid honorum deſit, conſecrantur, non modo mortui iam, quod PHILIPPO BVTACIDI, Crotoniatae, accidiſſe, HERODOTVS atque EVSTATHIVS teſtantur, ſed uiui etiam non nunquam, ut de EVTHYMO, pugile Locrenſi, PLINIVS memoriae tradidit.[l] Quo ualet illud OENOMAI, apud EVSEBIVM,[m] πύκτας, καὶ ἀθλητὰς, ἐκθεῶσαι, *pugiles, et athletas, in Deorum numero collocare.* Sed haec, et plura generis eiuſdem, nam, in re haud impedita ualde, nec obſcura, copia exemplorum, tanquam luminibus, uti uelle, nihil opus eſt, iam praetereo, tractus Athletae παραδόξου

 ſpe-

f) GELL. *Noct. Att. III.* 15
g) PLIN. *Hiſt. Nat. XXXIII.* 32
h) LVCIAN. *de Gymnaſ. p.* 274
i) DIONYS. HALIC. Τέχν. *p.* 43. *uerſ.* 34
k) HORAT. *lib. I. Od.* 1. *u.* 6
l) Nob. Dn. DE BERGER *Stromat. Academ. p.* 874
m) EVSEB. *Praepar. Euang. V.* 34. *init*

ſpectandi cupiditate. Quem dum nomino, eum mihi uolo Athletam, qui, ſtadium ingreſſus, bis ad minimum, pluriesue, uno et eodem die, ſumma contentione eo nititur, ut ſemper ſuperior diſcedat, eaque re communem uincit opinionem

CAPVT II

I. Παράδοξος, non ſemper in uitio. Δόξα, proprie opinio, idemque uocabulum, gloriae notione, priſcis Graecis plane ignotum, et poſteriore demum aetate introductum. Proprietatis Graecae fons in Scholiaſtis. Nouus canon, ad intelligentiam Heſychiani Gloſſarii, conſtitutus. Erneſti laudatus. Heſychio laus explicatae proprietatis contra D. Heinſium aſſerta. Idem Heinſius et Alex. Morus notati, παῖς pro υἱός accipi, negantes. II. Παράδοξος, uocabulum μέσον, quid proprie. Stoicorum παράδοξα. Miracula, myſteria, παράδοξα. Mare παράδοξον. Corſi, quo modo παραδοξότατοι in cura puerperarum. Picturae, excidens oratione Demoſthenes, Vita aeterna, Iter Iſraelitarum, et alia, cur παράδοξα. Scriptores librorum παραδόξων

I

Hoc ut clarius perſpiciatur, diſtincte praecipiendum uidetur, quid ſit τὸ παράδοξον, quoniam, eo neglecto, ipſe hic, quem notiorem eſſe cupimus, Athleta ignoretur, oportet. Ac principio illud probe tenendum, non ſemper in uitio poni, quod παράδοξον Graeci uocant. Recte quidem HESYCHIVS,[n] eru-

n) HESYCH. u. ἄδοξα

eruditiſſimus Grammaticorum, παράδοξα reddit ἄδοξα, *ingloria*, et SVIDAS[o] τὰ τοῖς ἐνδόξοις ἐναντία, *quae ſunt glorioſis contraria*, itaque, more ſuo utrumque exſcribens, PHAVORINVS. GISBERTVS CVPERVS,[p] *quae minime probantur.* Nec tamen ſemper ualet, ut dixi. Certe, illum Athletam, de quo loquimur, ſi *inglorium*, *inhonoratum*, *ignobilem*, interpretere, et ipſius dignitatem, quae ampliſſima eſt, perdideris, et, quam Graece tute doctus ſis, perbelle declaraueris. Eſt enim Δόξα, ἀπὸ τοῦ δοκεῖν, *putare*, *opinari*, κυρίως nihil aliud, quam *opinio.* Docte, ut omnia, HESYCHIVS. Δόξας. δοκήσεις. Et rurſus. Δόξῃ. Φήμῃ, ἢ δοκήσει. Φήμη autem, *opinio*, ut in Gloſſis utriuſque linguae. Idem HESYCHIVS. Δόξης. δοκήσεως. Sic apud HOMERVM ἀπὸ δόξης, quod breuium Scholiorum auctor,[q] quem uulgo perperam DIDYMVM putant, ἀπὸ δοκήσεως explicat. Clare in primis ad eum locum EVSTATHIVS,[r] Theſſalonicenſium Antiſtes.

 Ἰστέον

o) SVID. u. ἀδοξότατα

p) VPER. *Obſ I. 4. p. 25*

q) SCHOL. *Homer. Iliad. K. 324*

r) EVSTATH. *ad Il. K. p. 809. edit. Rom*

Ἰστέον δὲ, ὅτι, ὥσπερ κλέος παρὰ τῶι ποιητῆι οὐ κοινότερον ἡ τιμὴ, ἀλλὰ ἡ Φήμη, παρὰ τὸ κλύω, ἵνα, Φασὶν, ἦι κλύος, καὶ τροπῆι κλέος, διὰ τὸ ἀκουστὸν εἶναι, οὕτω καὶ ΔΟΞΑ ΟΥ, κατὰ τοὺς ὕστερον, ΕΠΙ ΤΙΜΗΣ, ἀλλὰ ΕΝΝΟΙΑ ΚΑΤΑ ΨΥΧΗΝ, καὶ ΔΟΚΗΣΙΣ, καὶ ΟΙΗΣΙΣ. *Sciendum est autem, quod, sicut uocabulum* κλέος *apud Homerum non, ut uulgo, honorem notat, sed famam, dictum a* κλύω, *unde, ut aiunt,* κλύος, *et, mutatione literae,* κλέος, *quoniam auditu fama percipitur, ita etiam uocabulum* ΔΟΞΑ *NON, ut postea factum, DE HONORE adhibeatur, sed MENTE INFORMATAM NOTIONEM, et EXISTIMATIONEM, et OPINIONEM, designet.* Ex quo iudicari debet, quantum a Poetarum ueterum Enarratoribus, qui dicuntur Scholiastae, quorum sine lectione nemo se Graece doctum nominare audeat, Graecae Proprietatis exquirendae studium adiuuetur, de quo alio tempore, ni mihi desit occasio, explicatius tradam. Atque etiam ARISTOTELI aliud est κατ' ἀλήθειαν, aliud κατὰ δόξαν, et PLVTAR-

TARCHVS ὑπόνοιαν καὶ ὑπόληψιν cum δόξα semel atque iterum copulat, ut scite SALOMO GLASSIVS [s] summonet, lectioris doctrinae Theologus. Ὑπόνοια autem, sensus reconditus, et ὑπόληψις, certa de aliquo concepta opinio. At *Gloriae* notio, quam posteriorum temporum usus induxit, de quo modo EVSTATHIVS, uetustissimis Graecis omnino ignoratur, quippe qui δόξαν semper, ut ab IACOBO DVPORTO [t] V. C. est monitum, ad *opinionis*, atque *existimationis*, referunt significatum. Qua re perite HESYCHIVS, quem omnes, solidae doctrinae amantes, merito in deliciis habent, nunquamque de manibus deponunt, nominis uim utramque iungit. Δόξα. Φήμη. τιμή. Vbi prima explicatio dat propriam notionem, altera secundariam. Quod saepe in hoc Glossario est obseruandum, et, tanquam nouus Canon, addi potest illis Canonibus, quos, ad pernoscendam indolem rationemque Glossariorum, maxime ipsius HESYCHII, pererudite constituit uir omnis politioris literaturae cultu eximie ornatus, IOANNES AVGVSTVS ERNESTI, cuius praeclara, maxi-

 meque

s) GLASS. *Opuscul.* p. 659. *edit. Th. Creu*

t) DVPORT. *Praelect. in Theophr. Charact.* c. 9. p. 330

meque enucleata, de Glossariorum Graecorum uera indole, et recto usu in interpretatione, Diatriba peritis harum deliciarum, etiam extra Germaniam, non potuit magnopere non probari. At simul notetur hic locus contra DANIELEM HEINSIVM, qui quidem tantus uir, primas lineas ducens Praefationis ad nouam editionem HESYCHII, frustra hunc futurum, arbitratur, qui, propriam alicuius uocis significationem ab Hesychiano Lexico, credat, expectandam. Quod, nollem, principi Criticorum eius aetatis excidisset, mirorque, HESYCHIO non familiarius eum usum fuisse, qui nouam perpurgatamque eius editionem serio sit meditatus. [u] Videas tamen, eundem alibi, nec id raro, occupari errore, qui facile potuisset, accuratius inspecto HESYCHIO, euitari. Quo referas, licet, ut unum hoc, testimonii loco, afferam, quod idem Aristarchus, idcirco recte notatus ab STOLBERGIO [x] nostrate, elegantissimo Poetarum Christianorum, NONNO Panopolitae, exprobrat, quasi uero hic, expers linguae Hellenisticae, sed quam nemo dum ullibi gentium reperire potuit, Filium Dei παῖδα Θεοῦ perperam usurpauerit. nunquam enim Graeco uerbo

u) ALBERTI *Praef. ad Tom. I. Hesych. cap. IV. §. 3*

x) STOLBERG. *ad Sophocl. Aiac. p. 56. edit. Hoerii*

uerbo eam mentem dari.[y] XENOPHON[z] tamen, κανὼν ille Atticorum ſcriptorum, CYRVM dixerat τὸν παῖδα Mandanae, mox autem τὸν υἱόν. Sic παῖς, pro υἱὸς, apud HOMERVM et AELIANVM reperit, acuto et ſubtili uir ingenio, IACOBVS GVSSETIVS,[a] parique modo נַעַר Hebraeis interdum *Filium* ſignare demonſtrat. Υἱῆες Φρίξοιο APOLLONIO RHODIO,[b] iidemque ueteribus ad eum locum Criticis doctiſſimis οἱ παῖδες Φρίξου. Gl. παῖς. ὁ υἱὸς. *Filius*. Quid, quod, in ſacra hiſtoria rerum a CHRISTO in terris geſtarum, unus idemque, nunc υἱὸς, nunc παῖς, uſurpatur.[c] Haec ſi DANIELI praeſto non erant, unius certe HESYCHII docta gloſſa ſufficiebat. Παῖς. πᾶς, ὁ φύσει υἱὸς ὢν τινος. Tamen eodem, quo HEINSIVS, ſenſu eſt ALEXANDER MORVS,[d] uir alioqui praeclare doctus. Sed, ut illuc reuertar, adiungantur HESYCHIO, ſi placet, ueteres eruditaeque reconditarum notionum expoſitiones, quae

y) HEINS. *Prolegom. in Ariſtarch. p. 672. 673*

z) XENOPH. Κύρου παιδ. *lib. I. p. 8. edit. Leuncl*

a) GVSSET. *Comment. Ling. Hebr. p. 522*

b) APOLL. RHOD. *Argon. II. 1095*

c) MATTH. *XVII. 15. 18.* IOANN. *IV. 50. 51*

d) MORVS *Not. ad N. Foed. p. 196*

Glossae nominantur, in quibus Δόξα. *Gloria. Decus. Opinio.* GVLIELMVS etiam BVDAEVS,[e] Graecis antiquis par, fere ut HESYCHIVS, Δόξα, inquit, *est Opinio, et Gloria.* Prior tamen notio Opinionis. Haec uocabuli proprietas

II

Oritur hinc Παράδοξος, quod, tametsi, posteriore aetate Graeci sermonis in utramque partem usurpari coeptum, recte μέσον habetur, κυρίως tamen eas res designat, quae a populari discrepant opinione, τὰ παρὰ δόξαν συμβαίνοντα. Praeclare HESYCHIVS, quoniam libenter utimur hoc teste. Παράδοξον. θαυμαστὸν, ἀπροσδόκητον. Recte illud, θαυμαστόν. Cum enim omnis oriatur admiratio ex ignoratione, tum id ipsum, quod fit contra opinionem, uere dicitur admirabile. Idem HESYCHIVS. Παράδοξος. ὁ παρὰ δόκησιν λεγόμενος. Et alio loco[f] παράδοξα, perinde atque ἄδοξα, interpretatur ἃ οὐκ ἄν τις ἐδόξασε, *quae non facile quis putasset.*

e) BVDAEVS *Comment. L. Graec. p.* 506 f) HESYCH. *u.* ἄδοξα

taſſet. SVIDAS. Παράδοξον. ἀπροσδόκητον, θαυμαστόν. Gl· Παράδοξος. *Mirus. Excellens.* Iterum. Παράδοξον. *Mirabile. Admirabile.* Denique. Παραδόξως. *Mirabiliter.* Sic in Nouella IVSTINIANI Imperatoris prima. Παραδόξου τινὸς ἀναφανέντος. ubi Vetus Interpres, *Inopinabili quodam aere alieno apparente.* IVLIANVS, *Niſi forte aliquid mirabile extiterit.* HOMBERGIVS, *Niſi forte inopinati quid emergat.* [g] CICERO autem Stoicorum illa παράδοξα nunc *admirabilia* interpretatur, [h] nunc *mirabilia*, [i] nunc *admirabilia contraque opinionem omnium*, [k] nunc *contra communem opinionem*, [l] quae quidem certe non ideo debebant abiici, quod erant παράδοξα, ſed, quod multa continebant παράλογα, ut ſcite BVDDEVS. [m] PLINII [n] locum ſciens praetereo, quod intelligo, malle uiros doctos, e Codicibus, παράβολα, quam, ut uulgo, παρά-

g) HOMBERG. *ad Nouell. Iuſtin. p. 25. not.* 107

h) CIC. *de Finib. IV.* 27

i) CIC. *Acad. Quaeſt. IV.* 44

k) CIC. *Paradox. cap.* 1

l) CIC. *de Nat. Deor. III.* 29. ubi IO. VALKERVS, homo Britannus, *in Notis* p. 357. pro *Academicorum*, omnino probabiliter *Stoicorum* reponit. Nam hi, TVLLIO teſte, ea ſentiebant, quae non ſane probarentur in uulgus

m) BVDD. *Diſſert. II. de Stoicor. in Philoſoph. Moral. error.*

n) PLIN. *IX. Epiſt.* 26

παράδοξα. Sed NICOLAO PEROTTO,[o] uiro prisca doctrina, Paradoxa ea dicuntur, *quae admiratione digna sunt, et opinionem hominum superant.* In hanc sententiam ipsa Miracula nominantur παράδοξα,[p] hoc est, interprete SYRO, ܬܗܪ̈ܐ *mirabilia*; quoniam spectatores in admirationem stuporemque traducunt. Vnde θαυμάζειν, ἐκπλήττεσθαι, ἐξίστασθαι, in argumento miraculorum.[q] Sic Christianae religionis Mysteria PHOTIO[r] sunt παράδοξα, ut eiusmodi res intelligantur, quarum caussas nulla cuiusquam ingenii uis et cogitatio consequi possit. Sicut CHRYSOSTOMVS illustrissimum illud Mysterium Ἐνσαρκώσεως Filii Dei,[s] cuius altitudinem ne Angelica quidem sapientia penetrat,[t] eximie uocat παράδοξον. Nec minus uere Sacrorum emendationem, auctore DEO, a LVTHERO susceptam perfectamque, dixeris ἔργον παραδοξότατον. Hinc, teste BVDAEO,[u] παρά-

o) PEROTT. *Cornu Cop. p. 48. n. 18*

p) LVC. *V.* 26

q) MATTH. *VIII.* 27. MARC. *VII.* 37. ACT. APOST. II. 7. 12

r) PHOT. *Epist. 165. p. 234. edit. Rich. Montacut*

s) I TIMOTH. *III:* 16

t) I PETR. *I.* 12

u) BVDAEI *Comment. L. Gr. p.* 1367

παράδοξος idem interdum est, ac δαιμόνιος, id est, homo excellens, ac paene diuinus. Mare παράδοξον, apud THEMISTIVM, in quo duplicem caussam denominandi GISB. CVPERVS[x] reperit, alteram, quod nemo ualeat, aestus eius ac recessus explorare, alteram, quod παράδοξα animalia gignat. Vtraque certe caussa eiusmodi est, ut mirabilem maris conditum haud obscure prodat. Nec uero DIODORVS SICVLVS, cum, Corsos praegnantium, postea quam partum enixae sint, nullam curam gerere, scribit, idque παραδοξότατον nominat, aliter uult intelligi, quam, Corsis in more fuisse, puerperae, partu leuatae, nullam talem curam gerere, qualem adhibere puerperis Graeci Romanique, sua aetate, solebant.[y] Dicitur AELIANO[z] APELLES, uisa pictura IALYSI, quam septem ipsis annis PROTOGENES pictor absoluerat, stetisse attonitus, ἐκπλαγεὶς ἐπὶ τῆι παραδόξωι θέαι, *stupefactus excellenti et admirando spectaculo.* Quo modo etiam PHILONI BYZANTINO[a] signum Iouis Olympii, PHIDIAE manibus pulcherrime

x) CVPER. *Obseru. I. 4*
y) Illust. DE BERGER *Eclog. Antiq. Corsic. Exercit. III. p. 25*
z) AELIAN. *Var. Hist. XII. 41*
a) PHILO BYZ. *de sept. Orb. Miracul. p. 2663. Tom. VIII. Gronou*

cherrime factum, est ἔργον τέχνης παράδοξον, *stupendum artis opus.* Idem Variae Historiae confector, DEMOSTHENEM, narrans, excidisse oratione, παράδοξον id usurpat,[b] hoc est, eiusmodi quid, quod, accredi uix possit, tali accidisse Oratori, qui de se ipse, idque uere, iudice LVDOVICO CRESOLLIO,[c] gloriari poterat, habere se πηγὰς τῶν λόγων ἀφθόνους, *uberrimos fontes eloquentiae*, imo uero, nihilo secius, ac CICERO, praedicare, *Non putaui, fieri posse, ut mihi uerba deessent.* Hac mente τὰ παράδοξα καὶ τὰ ἀδόκητα, *paradoxa et inopinata*, coniunguntur apud AELIANVM,[d] ut ultima uox tanquam explanatio sit praecedentis, et apud HERODIANVM[e] παράδοξα explicantur θαύματος ἄξια, *digna admiratione.* Apte etiam auctor libri Sapientiae, quem PHILONEM Iudaeum quidam putant, sempiternam piorum felicitatem, nemini nec uisam nec auditam, neque ulla perceptam cogitatione,[f] τὸ παράδοξον τῆς σωτηρίας appellat,[g] atque iter illud

b) AELIAN. *VIII.* 12.
c) CRESOLL. *Vacation. Autumnal. III.* 30. *p.* 657
d) AELIAN. *XIII.* 33
e) HERODIAN. *Histor. VII,* 8. 7.
f) I CORINTH. *II.* 9
g) SAPIENT. *V.* 2

lud Israeliticum per loca deserta, quod omni memoriae erit admirabile, παράδοξον ὁδοιπορείαν.[h] SIRACIDES autem eodem sensu τὰ παράδοξα καὶ θαυμάσια ἔργα copulat,[i] quo AELIANVS παράδοξα καὶ ἀδόκητα. Scripsit LYSIMACHVS Alexandrinus Θηβαϊκὰ Παράδοξα, quem uerum titulum libri, ex EVRIPIDIS APOLLONIIque ueteribus Criticis, GISB. CVPERVS restituit, uir eruditione παραδοξότατος, sed nihil aliud in eo tractat, quam ea, quae Thebis acciderant contra communem opinionem, ut idem GISBERTVS explicat. Huc spectant fortasse et MYRSYLI cuiusdam Ἱστορικὰ παράδοξα, de quibus ATHENAEVS, et ANTIGONI CARYSTII Συναγωγὴ Ἱστοριῶν Παραδόξων, quae etiam nunc extat, data foras cum notis MEVRSII. M. TVLLII CICERONIS Paradoxa, a Stoicis mutuata, quae, quod multum discreparent ab opinione populari, nomen illud gerunt, nota sunt omnibus. Relinquatur etiam tritum illud σχῆμα τῆς διανοίας, quod Παράδοξον, seu *Inopinatum*, dicunt Rhetores, cum, suspensis ani-

h) SAPIENT. XIX. 5   i) SIRACID. XLIII. 30

animis audientium, ſubito quid affertur, quod nemo putarat.[k] Mitto plura huius generis, ut παραδοξοποιέω, παραδοξολογέω, παραδοξάζω, et alia denique, quae uim habent eandem. Ex quibus emergit, nullam uituperationis cauſſam Athletam Παράδοξον nomine ſuo prae ſe ferre, ampliſſimaeque exiſtimationis ſuae indicium dare, ut tale quiddam in eiuſdem perſona cernas, quod captum uulgi mirum quantum ſupergrediatur, et communem opinionem ſuperet admirandum in modum, eoque ipſo ab Athletarum cetero grege excellenter eum diſtinguat. Hunc tametſi *Admirabilem* recte Latine dicas, poſſis etiam *contra omnes coronatum*, malo tamen ego Graecum retinere uocabulum, etiam ſi Latine dicendum ſit, ut Aſiarcha, Neocorus, Paſtophorus, Canephora, et complura generis eiuſdem ὅσα κόνις

CAPVT III

I. *Scriptores adducti, penes quos mentio Athletarum* Παραδόξων, *ac primo quidem Arriani locus, partim explicatus, partim tentatus. Quaedam nomina in* ΗΣ, *et* ΕΣ, *tam ad primam, quam ad tertiam, flectuntur declinationem.* Παίζειν, *Ludere, in obſcenis.* Διαπαίζειν, *uox rarior, illudendi notione. Hier. Volſii probata emendatio.* Παγκράτιον, *et* Πένταθλον, *perperam a Volſio,*

k) VOSS. *Inſtit. Orat. V. 11. p. 386*

Volsio, Casaubono, et aliis, confunduntur. Budaeus cursim notatus. Pollux laudatus. Ο *pro* Ω *positum.* Ὀικοι, *noue explicatum. Ex literis Reimari.* II. *Eusebius, et, ut fertur, Augustinus, item Scholiasta Iuuenalis, adducti, ultimus etiam, praeeunte Vossio, correctus.* III. *H. Stephani, et P. Fabri, emendatio in Plutarcho,* Παραδοξονίκης, *laudata, et robustior facta. Distractarum uocum coniunctione saepe restituendi corrupti loci, tam Graecorum, quam Romanorum. Carpzouius laudatus.* Ω *pro* Ο *crebro ponitur. Gruteriani, et Reinesiani, Operis Indicum utilitas a paucis intellecta. Hesychius emendatus.* Ἰῶτα *rarius a Graecis ascriptum, et quo modo in Plutarchi locum uenerit. Ablatiuus Graecorum assertus. Duplex Codex Lycophronis, alter membranaceus, alter bombycinus, Academiae Vitembergensis, laudatus. Lamb. Bos, de Ellipsi Graeca, laudatus.* Ὧδε, *contra mentem Grammaticorum, Aduerbiorum numero exemptum, et per Ellipsin duplicem explicatum. Suidas cursim correctus.* Ὀλυμπιονίκης, Καπετωλιονίκης, *Actionices, et alia eiusdem terminationis.* IV. Ἀγὼν Παράδοξος, *ex Dione Chrysostomo, sed correcto, memoratus. Discessum a Casaubono.* Ἄθετος, *eidem Dioni assertum. Glossae fortassis emendatae*

I

Memoriam uirum, quos uirtus ipsorum tantopere nobilitauit, minus multi, quam uellem, literis prodidere, quorum huc afferre testimonia, erit, opinor, huius instituti. Principe loco FLAVIVM ARRIANVM nomino, ex EPICTETI schola insignem Philosophum, HADRIANI temporibus clarum. Qui, plura praecipiens, quem ad modum contra uisiones, quas Φαντασίας Graeci dicunt, si existant in animo nostro, decertan-

tandum ſit, tum alia ſuadet, tum hoc in primis, ut praeclare facta praeſtantium uirorum nobis ante oculos ponamus, eaque intuentes, haud obtemperemus phantaſiis, ſed ſemper eas ratione uincamus. Vtitur autem exemplo SOCRATIS, ad hunc modum. 1) Ἄπελθε πρὸς Σωκράτη, καὶ ἴδε αὐτὸν, συγκατακείμενον Ἀλκιβιάδη, καὶ διαπαίζοντα αὐτοῦ τὴν ὥραν. Ἐνθυμήθητι, οἵαν νίκην ποτὲ ἔγνω ἐκεῖνος νενικηκότα ἑαυτὸν, οἷα Ὀλύμπια, πόστος ἀφ' Ἡρακλέους ἐγένετο, ἵνα τις, νὴ τοὺς Θεοὺς, δικαίως ἀσπάζηται αὐτὸν, Χαῖρε, ΠΑΡΑΔΟΞΕ, οὐχὶ τοὺς σαπροὺς τούτους παίκτας, καὶ παγκρατιαστὰς, οὐδὲ, τοὺς ὁμοίους αὐτοῖς, τοὺς μονομάχους. Ταῦτα ἀντιθεὶς, νικήσεις τὴν Φαντασίαν, οὐχ' ἑλκυσθήσηι ὑπ' αὐτῆς. Dicit Σωκράτη, ſicut etiam PLATO, at Σωκράτην XENOPHON. Vtrumque recte. Sunt enim quaedam nomina in ΗΣ, quae et ad primam, et ad tertiam, flectuntur Declinationem, non ſolum in Accuſatiuo, quod doctiſ-

1) ARRIAN. *Diſſertat. Epict. II. 18. p. 192*

doctiſſimus VERBEIVS[m] monuit, afferens, praeter dictum exemplum, τὸν Ἀριστοφάνη καὶ Ἀριστοφάνην, τὸν Δημοσθένη καὶ Δημοσθένην, addo, ex XENOPHONTE, τὸν Ἀστυάγη καὶ Ἀστυάγην, ſed etiam in aliis caſibus, ut in Genitiuo Γύγου καὶ Γύγητος, Κώμου καὶ Κώμητος, μύκου καὶ μύκητος, Μήνου καὶ Μήνητος, Πέλου καὶ Πέλητος, Μίγου καὶ Μίγητος, Πύλου καὶ Πύλητος, ut PRISCIANVS[n] obſeruat. Et, Graecorum imitatione, quam VOSSIVS[o] pater agnoſcit, apud Latinos quaedam nomina in ES ad utramque Declinationem caſus formant, ut MARO dixit in Accuſatiuo *Daren* et *Dareta*, SENECA in Genitiuo *Aeacidis*, pro uſitato *Aeacidae*, idem VIRGILIVS in Vocatiuo *Drances* et *Drance*, TERENTIVS eodem caſu *Chremes* et *Chreme*, *Laches* et *Lache*, CICERO ipſe, *o Socrate*, pro recepto *o Socrates.* Praeierat uiro docto PRISCIANVS, eo, quo dixi, loco, qui nominat in exemplum *Orontae* et *Orontis*, *Timarchidae* et *Timarchidis*, *Herodae* et *Herodis*, *Thucydidae* et *Thucydidis*,

 Mithri-

m) VERBEY *Noua Via docendi Graeca II 5. p. 48*

n) PRISCIAN. *lib. VI. Gramm. p. 705. Oper. Putſch*

o) VOSS. *de Analog. II. 3. p. 668. 669.*

Mithridatae et *Mithridatis*, *Tigranae* et *Tigranis*. Quibus adde, ex CORNELIO NEPOTE,[p] *Satrapis*, in Genitiuo, pro *Satrapae*, a Satrapes, ὁ Σατράπης, Σατράπου, primae Declinationis, ſicut ipſe NEPOS[q] alibi *Satrapen*, in prima. Non eſt ergo, quod, cum incerto Auctore libri de Barbariſmo, quem doctiſſimus VALCKENARIVS[r] ſubiunxit AMMONIO ſuo, formas illas, Σωκράτην, Δημοσθένην, Barbariſmi nomine ſuſpectas habeamus. Sed reuertor ad ARRIANVM. Rara uox, διαπαίζειν, quam, caue, accipias de luſu ἀφροδισιακῷ, ſeu turpi amore. Etſi enim ſaepe hanc mentem habet παίζειν, cum Compoſitis ſuis, ἐμπαίζειν, προσπαίζειν, atque etiam Latinorum *ludere*, *illudere*, ut rebus uenereis obſceniſque adhibeatur, quod, praeter auctores, in Volfianis Curis[s] excitatos, partim CASPAR BARTHIVS,[t] et IACOBVS GRONOVIVS,[u] partim DANIEL PAREVS,[x] et MAIVS iunior,[y] abunde probant, tamen hoc in loco δια-

p) NEP. *Lyſand. cap.* 4
q) NEP. *Con. cap.* 2
r) VALCKEN. *Ammon. p.* 194
s) VOLF. *Cur. Crit. P. II. p.* 452
t) BARTH. *ad Nemeſian. Eclog. I. p.* 183
u) GRONOV. *ad Arrian. Exped. Alex. II. 5. p.* 67
x) PAREVS *ad Muſaei Erotopaegn. p.* 98. 99
y) MAIVS *Obſſ. Sacr. lib. III. p.* 142. 143

διαπαίζειν nihil habet obſceni, ac potius in laude eſt, ut ex ipſo contextu apparet. Eſt ergo, *illudere* uenuſtatem pueri, quae aliorum poterat excitare libidines, *irridere*, *deſpicere* atque *contemnere*. quanquam huius ſignificationis deſideretur exemplum apud H. STEPHANVM. Probe in Gloſſis. Διαπαίζω. *Deludo. Eludo. Luditor.* (an *Ludificor.*) Et, Διαπαιζούσης. *Ludificante.* Item, Διαπαιγμός. *Perluſio.* HESYCHIVS,[z] Διαπαιζομένων καὶ χλευαζομένων, iunctim, tanquam ſynonyma. Nec aliter Scholiaſtes GREGORII NAZIANZENI, ad eum locum, in quo recte uir muneribus pariter, ac meritis, grauiſſimus, IOANNES FRIDERICVS BVRGIVS,[a] Depoſitionis et Pennaliſmi Academici ueſtigia reperit, ἐρεσχελεῖται per χλευάζεται, διαπαίζεται, explicat. Sic M. ETYMOLOGICI architecton[b] μυκτηρίζειν interpretatur διαπαίζειν, ſed idem HESYCHIVS καταγελᾶν, ſenſu haud diuerſo. Διαπαίζειν τὴν λέξιν, ὡς βάρβαρον, eſt, in eodem Libro Notatio-

 num,

z) HESYCH. u. διακωδωνισθέντες

a) BVRG. Not. ad Chreſtom. Patriſt. Graec. Faſc. V. p. 163

b) ETYMOLOG. M. u. μυκτήρ

num,[c] dictionem aliquam, tanquam ineptam insolentemque, notare, aut repudiare, quod alii, maxime Scholiastae ueteres, dicunt χιάζειν. Recte uero apud ARRIANVM HIERONYMVS VOLFIVS πύκτας legendum suspicatur, pro παίκτας, cum mox sequatur παγκρατιασταῖς. Sic enim illi scribendum erat, non πεντάθλους, perperam confuso duplici genere Athletarum, quod etiam, praeter DACERIVM, de quo deinceps ad PLVTARCHI locum, LAVRENTIVS VALLA, RAPHAEL VOLATERRANVS, HERMOLAVS BARBARVS, ONVPHRIVS PANVINIVS, fecerunt, idcirco notati a VOSSIO patre.[d] Quid, quod ipse ὁ πάνυ CASAVBONVS, cui pauci pares ponendi sunt Graecae linguae notitia, simili lapsu, Καλλίαν τὸν Παγκρατιαστήν, apud POLYBIVM, *Calliam Quinquertionem* interpretatus est, in quo recte a VALESIO,[e] atque FALCONERIO,[f] est reprehensus. Sic etiam AEMYLIVS PORTVS, SVIDAE interpres,[g] quem Kusteriana diligentia hic minus

c) ETYMOLOG. M. *u.* ὀλίος

d) VOSS. *Etymolog. L. Lat. u.* Quinquertiones

e) VALES. *Praef. ad Collectan. Constant. Porphyrogen*

f) FALCONER. *Not. ad Inscript. Athlet. p.* 72

g) SVID. *u.* Κλειτόμαχος

nus correxit, Παγκρατιαστὰς, *Quinquertiones.* Male uero. Est enim Παγκράτιον genus certaminis, σύνθετον ἐκ πυγμῆς καὶ πάλης, *ex pugilatione luctationeque compositum*, ut NICEPHORVS[h] explicat. Idque, PLVTARCHVS,[i] extra dubitationem, ait, positum. Ὅτι γὰρ μέμικται τὸ παγκράτιον ἔκ τε πυγμῆς καὶ πάλης, δῆλον. *Nam perspicuum est, ex pugilatu et luctatione mixtum esse pancratium.* At Πένταθλον, Latinis *Quinquertium*, genus exercitationis, quinque artibus constans, iactu disci, cursu, saltu, iaculatione, luctatione, ut FESTVS[k] interpretatur. licet quidam, ARISTOTELEM secuti, pro iaculatione Pugilatum substituant,[l] sed GVLIELMVS BVDAEVS,[m] nec id recte, Pancratium pro disci iactu. Atque etiam ARISTOTELI Παγκρατιαστικὸς is dicitur, qui luctatione utitur et pugilatione, Πένταθλος autem, qui illis quinque certaminibus.[n] Quid, quod genus utrumque, ad suam quodque origi-

h) NICEPH. *Schol. in Synes. p. 426. edit. Petau*

i) PLVTARCH. *Sympos. lib. II. quaest. 4. p. 638*

k) FESTVS *v. Pentathlum*

l) SCHRADER. *ad lib. I. Rhetoric. Aristotel. p. 56*

m) BVDAEI *Annot. in Pandect. p. 368*

n) ARISTOT. *Rhetor. I. 5. p. 31. edit. Schrader*

originem relatum, magno temporum interuallo ſeiungitur, cum ſit Πένταθλον decima octaua Olympiade inſtitutum, triceſima tertia Παγκράτιον.[o] Hac mente IVLIVS POLLVX, cuius Onomaſticon, neſció quem, theſaurum lectiſſimarum e ueteri Graecia mercium aperit, de Pancratiaſtis atque Pentathlis agit ille quidem, ſed ſigillatim, et diſtinctis capitibus.[p] Nec alio conſilio idem genus Athletarum a PLINIO[q] ſuperiore diſcernitur. Clare in primis apud DIONEM CHRYSOSTOMVM,[r] ὁ δὲ νικᾶι παγκράτιον, ὁ δὲ πένταθλον, *alius uincit pancratium, alius pentathlum.* Tranſeant haec. Ipſa autem ARRIANI uerba, Πάστος ἀφ' Ἡρακλέους ἐγένετο, Herculem reſpiciunt, Ludis praefectum a ueteribus, utpote quibus certi fuerunt Ἀγώνιοι Θεοὶ, hoc eſt, interpretante HESYCHIO, οἱ τῶν ἀγώνων προεστῶτες, *agonum antiſtites.* Qua de cauſſa etiam ab non nullis, ut POLLVX[s] prodit, certamina gymnica, auguſtiore uoce, Herculea nominari ſolita ſunt. Quo referas, licet,

o) LLOYD *ad Olympiad. 18. et 33*

p) POLLVX *III. 150. et 151*

q) PLIN. *Hiſt. Nat. XXXIV. 8. p. 1440. edit. Dalechamp*

r) DIO CHRYSOST. *Orat. Olympic. p. 198*

s) POLLVX *III. 155*

licet, praeclaram Gemmam Andreiniani Cimelii, Parte III Inſcriptionum Veterum Etruſcarum, nuper ab altero illo ARISTONE Pliniano, GORIO, Florentiae editarum, in ipſa fronte, poſitam, quae caput Herculis, tectum leonina pelle, in Amethyſto effingit, literis ad dextrum latus aſcriptis. ΗΦΑΙ ΣΤΙΩΝ ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟΥ ΑΓΟΝΟΘΕΤΗΣ t) ΘΥΑΤΕΙ ΡΗΝΩΝ ΑΝΕΘΗΚΕΝ· ut grati

 animi

t) ΑΓΟΝΟΘΕΤΗΣ, in Gemma, pro ΑΓΩΝΟΘΕΤΗΣ. Ο pro Ω, ut in Libris, Numis, Lapidibus, non ſolum nondum inuento ab SIMONIDE ω, quod anno ante CHRISTVM natum circiter 450 factum, ſed etiam poſt id tempus, haud ſane rariſſime. Sic ὅι, *quo*, male Aduerbium creditum, Ablatiuum eſſe ὧι, Articuli ὅς, plenius ἐφ᾽ ὧι τόπωι, ὁ ἑλληνικώτατος LAMB. BOS *Myſter. Ellipſ. Gr. p.* 329. ueriſſime ſtatuit. Ὁ δὲ, apud SVIDAM u. ἀπουσιάσει, pro ὧδε, ex noſtra correctione, de quo inferiore loco. Νεοκόρος, pro Νεωκόρος, non magis in libris, manu ſcriptis, obſeruante Cl. ALBERTI ad *Gloſſar. Graec. N. Foed. p.* 81. quam in Numis Gazae Francorum Regis *Tab. I.* 5. et apud CVPERVM *Conſecr. Homer. p.* 45. atque alios, ubi ΝΕΟΚΟΡΩΝ Diana ΣΟΤΕΙΡΑ, in Numo Agathoclis, regis Syracuſarum, apud CHRYSOST. HANTHALER de *Numis Veter. Tab. I.* 4. niſi eſt forte mendum, quod huius explanatio arguere uidetur. Numus ΑΠΑΜΕΟΝ, hoc eſt Ἀπαμέων, editus ab OCTAV. FALCONERIO *de Num. Apamenſ. p.* 226. Numus ΡΟΔΙΟΝ, hoc eſt Ῥοδίων, ſi HARDVINVM *Numiſm. Vrbb. p.* 421. 422. audias. Numus ΤΕΝΕΔΙΟΝ, hoc eſt Τενεδίων, apud BEGERVM *Theſ. Brand. Tom. I. p.* 422. et LVDOV. DE HEMMER *de Republ. Tenedior. cap. I. p.* 22. ΑΝΤΙΝΟΟC ΗΡΟC, in Numis Antinoi, apud VALENTEM *Num. Impp. Graec. App. Tab. V.* 19. et CHOVLIVM *Relig. Vet. Roman. p.* 192. hoc eſt, ut alii eiuſdem Numi habent.

animi indicetur religio, quam HEPHAESTIO, APOLLODORI filius, Thyatirensium Agonotheta, Herculi, tanquam praesidi certaminum, hoc monimento testatus sit. Hercules tamen maxime celebratur inuentione Agonis Olympici.[u] Ac sane uidentur ueteres ea re decla-

ΗΡΩΣ, quod uero in alio, apud IOSEPH. MONTERCHIVM *Rarior. max. mod. Numism. p. 142.* singulari exemplo, scribitur ΗΡΩΟΣ. Mitto ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΝ, ΣΕΛΙΝΟΝΤΙΟΝ, ΛΕΝΟΝΤΙΝΟΝ, ΛΙΠΑΡΑΙΟΝ, ΜΕΣΣΑΝΙΟΝ, ΚΑΤΑΝΑΙΟΝ, ΙΜΕΡΑΙΟΝ, pro Συρακουσίων, Σελινουντίων, Λενοντίνων, Λιπαραίων, Μεσσανίων, Καταναίων, Ἱμεραίων, item ΟΡΘΟΣΙΕΩΝ et ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ, pro Ὀρθωσιέων et Φιλορωμαίου, in plurium generum Numismatis, SPANHEMIO *Praest. Numism. Tom. I. p. 98.* et *Dissert. IX. p. 908. edit. II.* memoratis, et alia generis eiusdem, de quibus nos forsan, Deo dante, in Lexico Numario Graeco. Sic ΘΑΛΑΜΟΙ, pro Θαλάμωι, in uersibus Saxi ueteris sepulchralis, quos THOMAS SMITHVS in *Notit. sept. Asiae Eccles. p. 34.* descripsit. Etiam in ueterrima Inscriptione Attica, quam ex Baudelotiano penu expromit MONTEFALCO *Palaeogr. Gr. II. 4. p. 135.* legas uetustioribus literis, ΕΝ ΤΟΙ ΠΟΛΕΜΟΙ, pro ἐν τῶι πολέμωι. item ΕΝ ΚΥΠΡΟΙ ΕΝ ΑΙΓΥΠΤΟΙ, pro ἐν Κύπρωι, ἐν Αἰγύπτωι. item ΕΝ ΤΟ ΑΥΤΟ ΕΝΙΑΥΤΟ, pro ἐν τῶι αὐτῶι ἐνιαυτῶι. Ex quibus, ut plura praeteream, dudum animum induxi, ut, quamlibet noue, non tamen sine eruditorum, ut arbitror, assensione, οἴκοι, *domi*, Aduerbiorum numero, quo uulgo habetur, eximerem, atque Ablatiuum οἴκῳ, ab οἶκος, explicarem, ita, ut, ascito ο pro ω, et iota, ueterum more, ad latus apposito, οἴκοι idem certe ualeat ἐλλειπτικῶς, quod ἐν οἴκωι. HESYCHIVS. Οἴκοι. ἐν οἴκωι. Plane, ut apud TVLLIVM *Domo*, pro Domi, hoc est, ut plenius idem CICERO, FABIVS, TERENTIVS, PLINIVS, *in domo*, notante VOSSIO *de Construct. cap. 46. p. 494*

u) ERASM. SCHMID. *Prolegom. in Olympionic. Pindar. p. 6*

declarare uoluisse, quanta fortitudine prudentiaque certandum sit, cum Hercules physice, ut testantur ueteres et eruditi ad APOLLONIVM Critici,[x] nihil aliud sit, quam σύνεσις καὶ ἀλκὴ, *intelligentia atque robur.* Ergo, cum primus omnium idem Hercules, ut constat auctore PAVSANIA,[y] luctatione pancratioque Olympia uicisset, consuetudo iam loquendi usurpari coepta est, ut δεύτερος ἀφ' Ἡρακλέους, τρίτος ἀφ' Ἡρακλέους, et sic amplius,[z] is diceretur, qui post Herculem secundus, aut tertius, gemini huius certaminis praemia cepisset. Vt intelligi possit, quaestionem, πρῶτος ἀφ' Ἡρακλέους ἐγένετο, eo ualere, ut, quotus ab Hercule numero uictor pancratii et luctationis is, de quo agitur, ascriptus in Gymnasio sit, inquiratur. Ceterum, quae dicit ARRIANVS, οἵαν νίκην ποτὲ ἔγνω ἐκεῖνος νενικηκότα ἑαυτὸν, haud satis expedita uidentur, et mendi cuiusdam praebent suspicionem. Placet, interpungere post ἐκεῖνος, et, leuicula mutatione, νενικηκὼς scribere, ut, *se ipsum uincere*, eam mentem habeat

x) SCHOL. APOLLON. *I. 865*

y) PAVSAN. *I. Eliac. c. 8. p. 393*

z) Ἀναγραφ. Ὀλυμπιάδ. *p. 42. 43. 44. in Graecis Eusebian.*

habeat, libidines ſuas perdomare. Niſi uero ſi quis eſt, qui ita malit, νενικηκὼς τὰ ἑαυτοῦ, id eſt, *ſe ipſum*, eodem ſenſu. Totum igitur locum ARRIANI, nam Volfiana interpretatio pariter, atque interpunctio, non mihi per omnia ſatiſfacit, ſic de Graeco in Latinum conuerterem. *Confer te ad Socratem, eumque uide, pernoctantem cum Alcibiade, et contemnentem eius uenuſtatem. Animo meditare, qualem ille uictoriam iudicauerit, cum ſe ipſe uicerit, qualia Olympia, quotus numero factus ab Hercule ſit, ut eum, per Deos, potiore iure ſalutes, Salue, PARADOXE, quam putidos pugiles iſtos, et pancratiaſtas, horumque ſimiles gladiatores. Haec ſi oppoſueris, uinces uiſionem, nec ab ea traheris.* Vult nimirum oſtendere ſcriptor Atticus, multo digniorem eſſe SOCRATEM appellatione Παραδόξου, quam ullum Gymnaſticorum. eum enim adeo frangere ſuas perdidiciſſe cupiditates, ut pueri ALCIBIADIS, ſecum pernoctantis, de quo, ex PLATONIS Sympoſio, mentionem facit NEPOS,[a] uenuſtatem, quippe qui omnium aetatis ſuae eſſet multo formoſiſſimus, luderet potius, ac deſpiceret, quam turpi complecteretur amore. Id qui faciat, eum, ARRIANVS probat, eſſe reuera

a) NEP. *Alcib. cap.* 2

reuera exercitatum, propterea, quod tam ingentis et admirandi certaminis, quod regno, libertate, felicitate, animo non perturbato, maius praestabiliusque ponendum sit, palmam obtinuerit, quae, nisi diuino quodam adiumento auxilioque, nemini obtingat, siue, ut ipse loquitur, paucis interiectis, Οὗτός ἐστιν ὁ ταῖς ἀληθείαις ἀσκητής, ὁ πρὸς τὰς τοιαύτας φαντασίας γυμνάζων ἑαυτόν. Μέγας ὁ ἀγών ἐστι, θεῖον τὸ ἔργον, ὑπὲρ βασιλείας, ὑπὲρ ἐλευθερίας, ὑπὲρ εὐροίας, ὑπὲρ ἀταραξίας. Τοῦ Θεοῦ μέμνησο, ἐκεῖνον ἐπικαλοῦ βοηθὸν καὶ παραστάτην. Scripseram haec, cum peroptato mihi redditae sunt, refertae humanitate et eruditione, literae Professoris Hamburgensium Celeberrimi, HERMANNI SAMVEL REIMARI, uiri, cum ob doctrinae praestantiam, tum ob singularem in literarum studiosos, meque ipsum, amorem et beneuolentiam, suspiciendi, cuius DIO CASSIVS, tot annorum studio repurgatus, utinam aliquando, ac propediem, quod a cunctis, qui Graecae literaturae his temporibus bene cupiunt, auide serioque exoptatur, si per ualetudinem Doctissimi uiri, et occupationes, liceret, mani-

manibus teri poſſet eruditorum. Hunc enim de ARRIANI loco conſulueram, partim quod, Codicem Fabricianum, Salmaſiana manu diligenter notatum,[b] ad Generum hereditate perueniſſe, facile exiſtimabam, partim quod, a tam politi Viro ingenii nil, niſi eximium, atque omnibus ſuis abſolutum numeris, expectandum eſſe, iudicabam. Reſpondit alter ille FABRICIVS, citius expectatione mea, ad hunc modum. *Et primus quidem locus, de quo quaeris, eſt Arriani; ad quem Codex, quondam B. Fabricii, nunc meus, haec habet, quae utrum Gudii ſint, qui omnia margini adſcripſit, an Salmaſii, non dixerim; certe nota* Sal. *quam is adiecturum Salmaſianis, in fronte libri promiſerat, hic addita non eſt.* ἐνθυμήθητι ὅιαν νίκην ποτὲ. (*delet punctum.* deeſt νενικηκέναι) ἔγνω ἐκεῖνος (*comma conſtituit*) νενικηκότα ἑαυτόν. (*comma tantum ponit: redditque,* dum, uel qua ſe ipſum uiciſſet) ὂια ὀλύμπια, πόσος ἀφ᾽ Ἡρακλέους ἐγένετο, ἵνα τις (*comma*) νὴ τοὺς θεοὺς (*comma*) δικαίως ἀσπάζηται αὐτὸν; (Baſil- τὸν. uellem τὸν) χαῖρε παράδοξε. (*comma ponit*) οὐχὶ τοὺς σα-

προὺς

b) FABRIC. *Biblioth. Gr. IV. 6. p. 264*

πρὸς τούτους πάντας (quid si πύκτας) καὶ παγκρατιαστὰς, οὐδὲ (forf. ἠδὲ) τοὺς ὁμοίους αὐτοῖς τοὺς μονομάχους, (*punctum*) etc. *Plura non sunt addita. Vides ergo, hanc emendationem loci quanquam a tua ex parte diuersam, in eo tamen conuenire, quod Arriano hanc tribui uult sententiam, quasi se ipsum uicerit Socrates. Patere autem, uir praestantissime, imo patiantur manes magni Salmasii uel Gudii, ut hoc ipsum uoluisse Arrianum dicere, dubitem. Si id non sumimus, sicut sine necessitate sumi existimauerim, sana et commoda sunt Arriani uerba hac constructione:* Σωκράτης ἔγνω ἑαυτὸν νενικηκότα (*pro* νενικηκέναι) οἵαν νίκην. *Tantum quia elegantius nobis uideretur Arrianus Socratem se ipsum uincentem sistere, propterea inuitis codicibus refinguntur uerba. Quod ego licentius factum iudicauerim, praesertim, cum hoc sensu posito, minus apte cohaereant sequentia* οἷα Ὀλύμπια. *Nam maiore cum grauitate coniungas haec*, qualem uictoriam? qualia Olympia? *lectori uero cogitandum relinquas, qualis fuerit uictoria; quam si ad primum statim simpliciter explices uictoriam, et deinde pergas aliena uti comparatione. Equidem in uersione Wolfii (praeterquam illud de pancratiastis) nihil desideraeuerim,*

uerim, nisi quod accuratius haec potuissent coniungi: ut eum, medius fidius, iure salutes *etc.* non autem putidos istos pugiles *etc. scilicet, ita salutes.* Hactenus ille, rarae eruditionis, et humanitatis, uir. Quae quidem uti sunt quantiuis pretii, sic, pro modulo meo ponderata, non est enim celandum, eam apud me uim habuere, ut, pristinam sententiam, iam iamque labefactam, quasi ruere, uiderem. Nempe νενικηκότα, pro νενικηκέναι, uerissime, et saepe ita Participium pro Infinitiuo apud ipsum XENOPHONTEM, aliosque scriptores, Atticae munditiei laude clarissimos, qualis est ipse ARRIANVS. Quanquam ergo prius a me tentata emendatio, quod quidem negare non possum, initio quiddam ponderis mihi habere uidebatur, ac postea, quam doctissimi uiri iudicio, siue is ipse SALMASIVS est, siue GVDIVS, robustior erat facta, magis etiam arridere incipiebat, tamen, hisce perlectis, quae Celeb. REIMARVS grauiter cogitateque adiunxerat, temperare mihi non potui, quin, mutato consilio, in multo meliorem hanc sententiam, auctoreque suo omnino dignam, pedibus eundum putarem. Μεγάλη χάρις αὐτῶι. Sed de ARRIANI loco satis

II

Iam audiatur EVSEBIVS, ſcriptor exploratae fidei, rerumque, in coetu DEI geſtarum, diligens et luculentus explicator. Hic, ut oſtenderet, quanta animi praeſentia, ac fortitudine, Aegyptii in Phoenice pro CHRISTI honore uitam profuderint, haec memoriae prodidit.[c] Ἴσμεν γοῦν τοὺς ἐξ αὐτῶν διαλάμψαντας ἐν Παλαιςίνηι, ἴσμεν δὲ καὶ τοὺς ἐν Τύρωι, τῆι Φοινίκης. Οὓς, τίς, ἰδὼν, οὐ κατεπλάγη τὰς ἀναριθμήτους μάςιγας, καὶ τὰς ἐν τούτοις, τῶν ὡς ἀληθῶς ΠΑΡΑΔΟΞΩΝ, τῆς θεοσεβείας ΑΘΛΗΤΩΝ ἐνςάσεις, τὸν τε παραχρῆμα μετὰ τὰς μάςιγας ἐν θηρσὶν αἱμοβόροις ἀγῶνα, καὶ τὰς ἐν τούτωι παρδαλέων, καὶ διαφόρων ἄρκτων, συῶν τε ἀγρίων, καὶ, πυρὶ καὶ σιδήρωι κεκαυτηριασμένων, βοῶν, προσβολὰς, καὶ τὰς πρὸς ἕκαςον τῶν θηρίων θαυμασίους τῶν γενναίων ὑπομονάς. Quae ita interpretatur H. VALESIVS. *Et quoſdam quidem illorum in Palaeſtina claruiſſe, nouimus,*

c) EVSEB. *Hiſt. Eccleſ.* VIII. 7

nouimus, quosdam uero apud Tyrum, urbem Phoenices. Quos, quis est, qui, cum uideret, non admiratus sit innumerabiles ictus flagrorum, et in iis perferendis constantiam illorum reuera ILLVSTRIVM Christianae fidei ATHLETARVM, et post uerbera certamen cum bestiis, humanum sanguinem lambere consuetis, atque in eo certamine incursus pardorum, et ursorum immanium, aprorum etiam, et taurorum, quos, admoto igne et candenti ferro, aduersus illos incitabant, admirabilem denique fortissimorum martyrum, in singulis bestiis sustinendis, patientiam. Sed huius loci sententiam, qui plane insignis et elegans est, inferiore loco diligentius excutiemus. Non est praetereundus AVRELII AVGVSTINI,[d] si tamen hic est auctor Principiorum Rhetorices, ut uulgo creditur, locus, caute accipiendus ille quidem, de quo deinceps, sed huic instituto ualde coniunctus. *Quidam, parum diligenter Graece loquentes, Paradoxa pro his, quae sunt bonae opinionis, accipiunt. Vnde uulgo etiam Olympionicas, et ceteros Victores Sacrorum Certaminum, PARADOXOS uocant, magis consuetudine, quam ratione ducti.* Vetus etiam Interpres ad illud

IVVE-

d) AVGVSTIN. *Princip. Rhetor. p. 299. in Collect. Rhet. Lat. Pithoeana*

IVVENALIS,[e] *Vocem, Damasippe, locasti sipario*, tale σχόλιον adiicit. *Id est, praeco fuisti in mimo. Siparium, uelum est, sub quo latent PARADOXI, cum in Scenam prodeunt, aut hospitium mimi, aut quod appellatur comicum.* In extremis uerbis οὐδὲν ὑγιές. Quid enim Hospitium Mimi hoc loco. Omnino scribendum, *aut ostium* (quod etiam *hostium* dixerunt, cum spiritu,) *mimi, quod appellatur comicum*, ut uidit VOSSIVS,[f] pater

III

Venio nunc ad illustre testimonium PLVTARCHI, quod tamen, ut rectius intelligatur, ad ueram germanamque scriptionem reuocandum est. Sic ille,[g] CIMONEM et LVCVLLVM inter se contendens. Ἐν δὲ τοῖς πολεμικοῖς ὅτι μὲν ἀμφότεροι, καὶ κατὰ γῆν, καὶ κατὰ θάλασσαν, ἀγαθοὶ γεγόνασιν ἀγωνισαὶ, δῆλον. Ὥσπερ δὲ τῶν ἀθλητῶν τοὺς ἡμέραι μιᾶι πάλῃ μιᾶι καὶ παγκρατίωι στεφανουμένους, ἔθει τινὶ, ΠΑΡΑΔΟΞΩΝΙΚΑΣ καλοῦσιν, οὕτω Κίμων,

e) SCHOL. *Iuuenal. Sat. VIII.* 185

f) VOSS. *Etymol. L. Lat. p.* 370

g) PLVTARCH. *Lucull. p.* 524

μων, ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ πεζομαχίας καὶ ναυμαχίας ἅμα τροπαίῳ στεφανώσας τὴν Ἑλλάδα, δίκαιος ἐστιν ἔχειν τινὰ προεδρίαν ἐν τοῖς στρατηγοῖς. *Rei militaris utrumque, terra marique, peritissimum fuisse, constat inter omnes. Quem ad modum autem Athletas, qui eodem die Luctatores et Pancratiastae coronantur, more quodam, PARADOXONICAS appellant, ita, Cimonem, uno die deuictae classis et pedestris exercitus tropaeo Graeciam ornantem, inter ceteros duces dignitate eminere, aequum ac iustum est.* Ita interpretare illum locum, non optime a plerisque conuersum, quibus inueteratus prauae scriptionis error imposuit. LEONARDVS enim IVSTINIANVS, *Insueta rei magnitudine uictorias uocant.* HERMANNVS CRVSERIVS, *Nouo more uocant uictorias.* MARCELLVS DONATVS,[b] TRANQVILLVM explanans, *More quodam admirabili,* νίκας *uocant, id est, uictorias.* IACOBVS denique AMIOTVS, interpres Gallus, *Sont nommez par un' estrange coustume non vainqueurs, mais victoires, pour plus leur faire d'honneur.* Admodum etiam negligenter Graeca

b) DONAT. *Dilucid. in Sueton. p. 439. Tom. VI. Part. II. Thes. Crit. Gruter.*

Graeca PLVTARCHI inſpexerit, oportet, IOANNES POTTERVS,[i] cetera haud ſpernendus auctor, qui, de publicis Graeciae Ludis exponens, *Sed qui in omnibus*, inquit, *certaminibus palmam tulerat, ſupra hominum ſortem euectus, eiuſque facinora omni admiratione dignae Victoriae dictitari ſolebant, teſte Plutarcho in Lucullo.* Quaſi legiſſet παραδόξους νίκας. At Variae Lectiones Parallelorum PLVTARCHI, quas, ex ſcriptis Codd. contextas, Francofurtenſis editio dat, παρεδοξονίκας habent, ut, παραδοξονίκας ueram eſſe lectionem, nemini dubium eſſe poſſit. Atque ita etiam, una uoce, H. STEPHANVS[k] legendum putabat, idemque, pro poſteriore μιᾶι, ἅμα reponebat, addicentibus identidem Codicibus. Vtraque correctione reſtituere Chaeronenſem parabat PETRVS FABER,[l] doctiſſimus uir, nulla tamen STEPHANI facta mentione. Sic difficile fuerit iudicatu, uter alteri facem praetulerit. Etſi enim Agoniſticon ſuum A. 1590 ſcripſit Praeſes Toloſanus, biennio poſt editum, Vecheliana autem editio, quae adiectas STEPHANI habet Annotationes, A. 1599

 demum

i) POTTER. *Archaeolog Gr.* II. 21. p. 408

k) STEPH. *Annot. in Plutarch.* p. 77. *Tom. I. edit. Francof.*

l) FABER *Agoniſtic.* III. 21. p. 315

demum Francofurti impressa est, ut existimari possit, FABRO deberi laudem emendationis, tamen hic ipse, dum haec in ora paginae ponit, *Apud Plutarchum in comparatione Cimonis et Luculli, f. 952. libri Stephan.* usum se PLVTARCHO, cura HENRICI expolito, lucide prodit. Haec est, credo, Parisiensis illa editio, quae, totum complexa Chaeronensem, sex uoluminibus, in forma ordinis octaui, A. 1572 data foras est, ex H. STEPHANI castigatione. Quae quidem si, ut uidetur, praesto fuit Agonistici architecto, potuit is fortasse reperire emendationem, quam, crederet, libro suo non fore dedecori. At nolo ego, id quod ipsa horret natura mea, lacerare famam nominis Fabriani, cui plurimum me debere profiteor, ac potius illud mihi persuadeo, HENRICVM pariter ac PETRVM, suo, quod dicitur, Marte, sine plagii cuiusdam suspicione, ita coniecisse. Atque AVGVSTINVS BRYANVS,[m] cuius industria splendide apparari apud Britannos Parallela Chaeronensis coepta sunt, sed perfecta tandem et absoluta a MOSE DU SOUL, παραδοξονίκης, ut STEPHANO uisum, haud improbat, DACERIVMque notat, qui, literis

m) BRYAN. *Not. et Emend. in Plutarch.* Παράλλ. *Vol. III. p. 558. Londini 1723*

literis ad SALVINIVM, quem principem eius aetatis Graece eruditorum tulit Italia, datis, existimauerit, περιοδονίκης scripsisse PLVTARCHVM, translato ad eos modo loquendi, qui quinque diuersis Pancratii uicerint certaminibus. In quo falli DACERIVM, idem ostendit, quod Pancratiastae confundantur cum Pentathlis, quorum hic mentio nulla fiat, sed illorum, qui luctatione pancratioque uicerint uno die. Haec quidem, recte et accurate, BRYANVS. Fabrianam sequuntur emendationem OCTAVIVS FALCONERIVS[n] et IOACHIMVS KVHNIVS.[o] Et quidni sequantur. Nempe, cum Graecorum olim, libri, de his enim nunc loquimur, sine distinctione singulorum uocabulorum, ac uelut una perpetua litera, exarari solerent, saepe accidit, uti deinceps, uitio Grammaticorum, quorum opera uersaretur in distinguendis uocabulis, quod *difficillimum* erat, *uerbum a uerbo dirimere, nisi docto, attento, et in hoc ipsum exercitato*, sicut uere iudicat ERASMVS,[p] ea distraherentur, quae essent coniungenda, praesertim in rarius obuiis nominibus, quale illud παραδοξονίκης. Ex quo ortum

 tum

n) FALCONER. *Not. ad Inscr. Athl. p.* 43. 44.

o) KVHN. *ad Polluc. p.* 347. *not.* 51

p) ERASM. *Praefat. in V libros Liuii postremos ad Carolum Montioium*

tum est monitum Criticorum, ut, in emendandis ueterum scriptis, diligenter attendamus, sitne in unum contrahendum uocabulum, quod in duo fuerat diuulsum. Tali coniunctione ARISTIDEM, multis in locis, atque alios Graecos auctores, perite sanat ὁ κριτικώτατος GVLIELMVS CANTERVS,[q] ita, ut ἀνῆγον legat, pro ἂν ἦγον, ἅπαντες, pro ἃ πάντες, ἀπήειμεν, pro ἀπήει μὲν, ἀνήειμεν, pro ἀνήει μὲν, δηλίου, pro δ' ἡλίου, ἐξὸν, pro ἐξ ὧν, ταυτηνὶ, pro ταύτην ἢ, ὡσπερεὶ, pro ὥσπερ εἰ aut ὡς περὶ, et plura ibidem. Σέλας Φόρων, apud AESCHYLVM. At σελασφόρων copulando scribit FRANCISCVS ROBORTELLVS,[r] acrioris uir ingenii, sed mordax. Sistrum nominatur POLLVCI,[s] ὧι κατάβαυ καλοῦσιν. Sic uulgo. At LEOPARDVS,[t] quo homine sane nihil eruditius, diuulsam uocem sagaciter odoratus, ita coniungit, καταβαυκαλῶσιν, *sopiunt*, eaque lectio postea huic POLLVCI a praestantissimis est interpretibus asserta. Apud HESY-

q) CANTER. *de rat. emend. Graec. Auct. cap. 4. p. 51. 52*

r) ROBORTELL. *de rat. corrig. antiq. libros, p. 117*

s) POLLVX *IX. 127.*

t) LEOPARD. *Emendat. VII. 5*

HESYCHIVM Ἐδωνά redditur κατὰ ζῶμα νεώς. Vbi SALMASIVS iunctim legit ex VARINO κατάζωμα. Mallet tamen Clarissimus ALBERTI, cum KVSTERO, ὑποζώματα. Videtur eidem SALMASIO [u] apud ACHILLEM TATIVM, iunctis uocabulis, legendum ἐπίσκοπα τοξοβολεῖν, pro uulgari ἐπὶ σκοπῶι τόξον βάλλειν. Καρτερὸν ὄντα, habent editiones DIONIS PRVSAEENSIS. Melius iunctim scribas καρτεροῦντι, de quo paullo post dicemus. Σύρα Φοίνισσα exarant quidam Codd. apud MARCVM, Euangelistam, [x] pro Συροφοίνισσα, ut meliores, et numero plures. Illud autem Χώρα Ζὶν, quod ingeniosis quibusdam placuit, ORIGENIS, ut uidetur, uestigia legentibus, pro Χοραζὶν, [y] hic ne attingo quidem, cum ne unus quidem scriptus suffragetur. Si de Hebraea literatura esset quaestio, huc afferrem corruptiones Hebraei Codicis, ex integrarum uocum imperita diuulsione, incuria Interpretum Alexandrinorum, ortas, qui, uerbi caussa, לָכֵן

 reddunt

u) SALMAS. *ad Achill. Tat.* p. 578

x) MARC. VII. 26. add. PFAFF. *de genuin. N. Test. Lection.* cap. 12. p. 206

y) MATTH. XI. 21

reddunt οὐχ οὕτως, quasi essent duae uoces לֹא כֵּן, item אֶרְאֶלָּם ὀφθήσομαι αὐτοῖς, tanquam reperissent אֵרָא לָהֶם, de quibus uitiis τῶν Ἑβδομήκοντα διαφερτικοῖς eximie ac pererudite, sicuti solet, exponit, Theologus, incertum, an Philologus, spectatior, quem quidem nos, et propter excelsa in religionem ac literas merita, et ob prolixam in nos uoluntatem atque humanitatem, pie ueneramur, IOANNES GOTTLOB CARPZOVIUS.[z] Sed extra Graeciae terminos nolo nunc euagari. Solet idem in aere ueteri usu uenire, ut, nunc errore sculptoris, nunc effictarum iconum impedimento, uerba, coniunctim scribenda, distrahantur, ut ΑΘΗΝΑ ΙΩΝ, in duplici Numo Attico, altero Goltziano,[a] altero Baudelotiano,[b] id est, ΑΘΗΝΑΙΩΝ, *Atheniensium*. Quod LUDOVICUS NONNIUS, cum, duas esse uoces, arbitraretur, perperam ΙΩΝ ΑΘΗΝΑ legit, quod cum ante biennium fere monuissem,[c] nunc, a doctissimo CUPERO[d] dudum exprobratum huic

z) CARPZOV. *Crit. Sacr. P. II. cap. 2. p. 515*

a) GOLTZ. *Numism. Graec. Tab. XV. 29*

b) BAUDELOT *l' Utilite des Voyages. Tom. II. p. 585*

c) *Obss. ex Num. antiq. sacr. p. 26*

d) CUPER. *Numism. antiqu. explic. p. 227. 234*

huic eſſe, reperio. Hiſce poſitis, habes iam, apud PLVTARCHVM, παραδοξωνίκας. Nec miraberis, adeſſe in tertia a fine ω, cum debeat ο, ſi, ipſum GALENVM, cuius luculentum locum CLERICVS[e] affert, ea de re queſtum, elementorumque ο et ω confuſionem ad ἁμαρτήματα ſcribarum, memineris, retuliſſe. Ergo in mendis plurium generum, quas oſcitantia librariorum optimis aſperſit ſcriptoribus, paſſim reperias, τετραγωνίαν, pro τετραγονίαν, ὥσπερ, pro ὅσπερ, παρασχὼν, pro παρασχὸν, uti monitum ab laudato CANTERO[f] eſt. Ita IOANNES IENSIVS,[g] V·C· εὐμορφώτερος apud LVCIANVM et ACHILLEM TATIVM, στεῤῥωτέροις apud eundem ACHILLEM, θερμώτερον apud AELIANVM, mendoſe ſcriptum agnoſcit, pro εὐμορφότερος, στεῤῥοτέροις, θερμότερον. Habet Gloſſarium Origenianum, in Codice Colbertino, δωματισθέντος, pro δοματισθέντος, et Gloſſae Nomicae ἐν δώσει, pro ἐν δόσει, et HESYCHIVS, in uoce

Ματ-

e) CLERIC. *Art. Crit. P. III. p. 121*

f) CANTER. *l. laud. cap.* [illegible] *p. 26*

g) IENS. *Lect. Lucian. L.* [illegible] *p. 120*

Ματθαῖος, δῶμα θεοῦ, pro δόμα; ut egregius uir, IOANNES ALBERTI,[h] uidit, et correxit. Glossae Nomicae. Ἰνίουσα, παρανομως. Vbi idem uir doctus[i] e MS· affert emendate. *Iniusta*. Ἰνιόυσα. παράνομος. Et IACOBVS GOUPYLVS[*] uitiosam lectionem ALEXANDRI TRALLIANI, Medici, ἐπιμιγνῦντας αὐτῶι ποσ Χυλοῖς, emendat ita, ε. αὐτό ποσ Χ. Vult etiam, in HESYCHIO legi ὀψικότα, SALMASIVS, pro uulgari ὠψηκότα, sed ὠψηκότα tuetur LAMBERTVS BOS,[k] ostendens, esse Praeteritum ab ὀψέω, ὤψηκα, *sero uenio*. Quod uerius utique. At idem HESYCHIVS, in Ἄδωνις, et Ἀλέξανδρος, opus habet medicina, ubi βόλου, non βώλου, sicut uulgo, scribendum est, et apud eundem, post u. Αἰολίζειν, perperam Αἰῶλις, pro Αἰολὶς, quod uel solus ordo literarum docere potest. Vtrumque cum alii docti uiri annotarunt, tum

h) ALBERT. *ad Gloss. Gr. in N. Test. p. 16*

i) ALBERT. *Miscell. Crit. cap. 1. p. 240*

*) GOYPYL. *Castigat. in Alex. Trallian. p. 17. edit. Steph. Lutet. 1548*

k) BOS *Obss. Crit. cap. 50. p. 195*

tum ille ἐξοχώτατος, cui tantum debet hoc Glossarium, quantum nulli. Simile mendum eandem Glossam eruditam infestat, quamlibet a nemine dum, quod sciam, animaduersum. Ἀγώγιμον. ὠφέλιμον. Sic quidem uulgo. Ego uero quouis pignore certauerim, scripsisse HESYCHIVM ὀφειλόμενον, id est, *debitorem*. Est enim ἀγώγιμος obaeratus, quem creditori domum suam ducere, ac seruituti addicere, erat permissum.[l] Probat emendationem ipse HESYCHIVS paullo post. Ἀγωγίμων. Καταδεδικασμένων, hoc est, nexorum ob aes alienum, obaeratorum. Est locus Paullinus,[m] ubi exstat in non nullis Codd. Φορέσωμεν, quod etsi TERTVLLIANVS atque CYPRIANVS susceperunt, praestat tamen, cum GLASSIO, MILLIO, PFAFFIO, VOLFIO, uiris praestanti doctrina, uulgarem lectionem Φορέσομεν, in ipso orationis Paullinae contextu fundatam, tueri. In Graecis etiam Marmoribus, nunc ΚΟΜΩΔΙΑ,[n] pro Κωμόδια, nunc ΔΙΟΔΩΤΟΣ,[o] pro Διό-

l) BVDAEI *Annot. in Pandect.* p. 605. 606

m) I CORINTH. *XV*. 49. add. VOLF. *Cur. Philolog. Tom. II.* p. 553

n) GRVTER. *Thes.* p. 317. n. 1

o) REINES. *Syntagm. Class. V.* n. 11

Διόδοτος, ut SCALIGER, et CARPZOVIVS, Lipſienſium quondam Polyhiſtor, obſeruant, alter in Gruteriano, alter in Reineſiano, Indicibus, praeſtantiſſimis illis quidem, atque eruditiſſimis, ſed cuius Herculei laboris utilitatem, ut ueriſſime a CASAVBONO iudicatum, hodie pauci norunt. Sic, in titulo Thyatirenſis Marmoris, quem doctiſſimus THOMAS SMITHVS[p] exſcripſit, animaduerto ΤΟΝ ΚΡΑΤΙΣΤΩΝ ΕΠΙΤΡΟΠΟΝ, pro Κράτιστον. In Numiſmatis autem Graecis Ω pro O exarari, notat Numographorum ille Homerus, EZECHIEL SPANHEMIVS,[q] idque exemplo probat ωΡΘΩΣΙΕΩΝ, pro Ὀρθωσιέων. Adde, praeter Numum Graecum, apud CHRYSOSTOMVM HANTHALER,[r] ubi ΝΕΩΚΩΡΩΝ, pro Νεωκόρων, aliud Graeci artificii Numiſma, idque perrarum, quod, a SPONIO[s] et CVPERO[t] editum, caput HOMERI effingit, appicta palma, cum titulo ωΜΗΡΟC, pro ΟΜΗΡΟC, ut in ceteris Numis huius gene-

p) SMITH. *Notit. ſept. Aſiae Eccleſ. p. 28*

q) SPANHEM. *de Praeſt. Num. Tom. I. p. 119*

r) HANTHAL. *de Numis Vet. Tab. VI. 9*

s) SPON. *Miſcellan. Sect. IV. p. 140. n. 1*

t) CVPER. *Apotheoſ. Homer. p. 8. n. 1*

generis. Quidni ergo, consimili prorsus ratione, ex παραδοξονίκας fuerit, corruptione imprudentiaque scribentis, factum παραδόξωι νίκας. Plane ut, ἐξόν in ἐξ ὤν, paullo ante diximus, deprauatum. Sunt haec quidem expedita, ni fallor. Sed quid faciemus iam ι subscripto, quod restat. Quanquam illud quidem facile tolli possit, si cetera sibi constent in emendando, ego tamen, ut, quid sentiam, libere planeque dicam, potius recentiorem manum, quam PLVTARCHI ipsius, hic agnosco. Hoc quem ad modum acciderit, uide. Scribit Chaeronensis, ut omnino uidetur, παραδοξονίκας. Accedit imperitus librarius, et, rupta uoce, litera mutata, dat παραδόξω νίκας. Id postea alius inueniens, siue Scriba, siue Criticus, Iota subiicit, quod omissum putat. Sic formam Datiui subito is efficit, eamque cum antegressis arcte connectit, et in media uoce, quo nihil stolidius, interpungit, ἔθει τινὶ παραδόξωι, νίκας καλοῦσιν. Habes fontem foedissimi mendi, sicut opinor, uerissimum. Ipse tamen PLVTARCHVS ascriptum ἰῶτα, nam subscriptum istud longe est posterioris aetatis, haud uidetur addidisse, more Graecorum, quos rarius eodem

uti

uti consuesse, accepimus. Πολλοὶ γὰρ χωρὶς τοῦ ι γράφουσι τὰς δοτικάς, *Multi enim sine Iota scribunt Datiuos*, STRABO [u] dicit, sub Augusto. Quod, praeter Dores, et nonnunquam Atticos ipsos Aeoles sunt in primis facere soliti, quos imitati, ut in plerisque, Romani ueteres, in tertio casu dixerunt, *senatu*, *domu*, *fluctu*, *metu*, *aspectu*, et alia generis eiusdem, pro senatui, domui, fluctui, metui, aspectui, sicuti nempe Aeoles Ἀινεία, μόυσῃ, λόγω, et sic amplius, pro Ἀινείαι, μόυσηι, λόγωι. [x] Elegans Numus HERODIS Tetrarchae, a NORISIO [y] editus, eruditeque expositus, ΓΑΙΩ ΚΑΙΣΑ. *Caio Caesari.* Alius, NERONIS, ambitiose inscriptus, apud SPANHEMIVM, [z] ΤΩ CΩΤΗΡΙ ΤΗC ΟΙΚΟΥΜΕΝΗC. Affert quatuor Numos SEGVINVS, [a] unum CLAVDII Chalcidensis, cum titulo ΚΛΑΥΔΙΩ ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ, alterum MARCELLI, ita inscriptum, ΑΝΘΥ· ΕΠΡΙΩ· ΜΑΡ ΚΕΛΛΩ·

u) STRAB. *Geograph. lib. XIV.* p. 446

x) VOSS. *de Analog. II.* 18

y) NORIS. *de Num. Herod. Antip.* p. 646. *Tom. II. Oper.*

z) SPANHEM. *de Vsu Num. Tom. II.* p. 500

a) SEGVIN. *Select. Numism.* cap. 2. p. 50. cap. 3. p. 103. cap. 4. p. 123. 182

ΚΕΛΛΩ· Γ· ΚΥ· *Procos. Eprio Marcello III Cypriorum*, tertium TIBERII, cuius aduersa pars habet ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ, auersa ΤΙΒΕΡΙΩ ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ ΓΟΡΤΥΝΙΩ, quartum MARINI, in quo legitur ΘΕΩ ΜΑΡΙΝΩ. Marmor Graecum, apud CVPERVM [b], quod ad ALEXANDRVM SEVERVM spectat, haec habet, ΗΛΙΩ ΜΕΓΑΛΩ, item ΕΝ ΠΟΡΤΩ, item ΕΠΙ ΛΑΡΓΙΝΙΩ, item ΑΡΧΙΥΠΕΡΕΤΗ ΚΑΙ ΚΑΜΕΙΝΕΥΤΗ ΚΑΙ ΑΥΡΗΛΙΩ ΦΗΒΩ ΚΑΙ ΣΑΛΩΝΙΩ ΟΕΙΔΟΤΩ. Sic in ueteri Lapide, quem, Thyatirae cum uersaretur, ex basi cuiusdam columnae, in medio foro positae, descripsit THOMAS SMITH [c], ΕΝ ΤΩ ΚΛΑΥΔΙΩ ΠΕΡΙΒΟΛΩ. deinde ΕΑΥΤΩ ΣΦ Ω. deinde ΤΗ ΓΛΥΚΥΤΑΤΗ ΑΥΤΟΥ ΓΥΝΑΙΚΙ ΑΥΡΗΛΙΑ ΠΟΝΤΙΑΝΗ. deinde ΕΝ ΤΗ ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΗ ΘΥΑΤΕΙΡΗΝΩΝ ΠΟΛΕΙ ΑΝ-

D ΘΥΠΑ-

b) CVPER. *in Harpocrate*, p. 153

c) SMITH *Notit. sept. Asiae Eccles.* p. 18. 19

ΘΥΠΑΤΩ ΚΑΤΙΛΛΙΩ ΣΕΒΗΡΩ. Saepe, tam in Marmoribus, quam in Codicibus, Datiuum, addo etiam Ablatiuum [d], cur

d) Nihil plane nouum dicimus. Etsi enim Graecorum auferendi casus a Grammaticis, ueteribus omnibus, recentioribus plerisque, ignoratur, eum tamen recte tuentur FRANC. SANCTIVS *in Mineru I 6. p. 50. 51.* GASP. SCIOPPIVS *Grammat. Philosoph. p. 100. 130.* NICOD. FRISCHLINVS *Grammat. Gr. cum Lat. congr. P. I p. 84. P. II. p. 45. sqq.* LAMB. BOS *Myster. Ellips. Gr.* passim, in primisque *in Ellips. Praeposit. Doctor. Parisiensis Nou. Gr. ling. Method. VIII. 2. p. 455. sqq.* IO. VERBEY *Nou. Via docendi Graec. II. 1. p. 17. 18.* quamlibet magno conatu GER. IO. VOSSIVS *de Analog. I. 45. p. 636. 637.* et IAC. PERIZONIVS ad Sanctium *p. 40. sqq.* in aduersum nitantur, POLYCARPVS autem LEYSERVS, in Epistola, modo laudatae Grammaticae Frischlinianae praefixa, huic populari suo et amico, non defuturos, praesagiat, qui in libro eius *reprehendant licentiam, contra receptam consuetudinem, Graecis Ablatiuum largiendi.* Sed agnoscit eundem casum uetus Glossarium Latinograecum. *Casus sex*, πτώσεις εἰσὶν ἕξ. *Nominatiuus*, ὀνομαστικός. *Genitiuus*, γεννικός. *Datiuus*, δοτικός. *Accusatiuus*, αἰτιατικός. *Vocatiuus*, κλητικός. *Ablatiuus*, ἀποκομιστικός. Quid. ipse iam CICERO, quem Graeca finxit disciplina perpoliitque, hoc praeclare intellexit, penes quem quoties, *de* Ἀμαλθείαι, *in* πολιτείαι, *in maiore* ἀπορίαι, *cum* εὐμενείαι, *a philologia et quotidiana* συζητήσει, et plura generis eiusdem, dispersim, legas, toties, in sexto, qui ab antegressis Latinorum pendet Praepositionibus, casu ipsa Graeca nomina poni, commonefias. Et quis, quaeso, Romanis dederit Ablatiuum, nisi Graecia. Nec obstat, casum eum apud Graecos Datiuo, a quo significatione differt, semper esse similem terminatione. Ipsi enim prisci Romani, Graiorum aemulatione, in primae Declinationis utroque casu dixere *mensai*, in secundae, ut etiam nunc, *libro*, in tertiae *ruri*, *parti*, *Lacedaemoni*, *Carthagini*, in quartae *senatu*, *fructu*, in quintae denique *die*, ut docent Grammatici. Itaque omnes Praepositiones Graecorum, quae uulgo Datiuo iungi putantur, ut ἐν, ἐπὶ, μετὰ, σὺν, et reliquas, ue-

cur enim, casu hoc Latinis pauperiores esse Graecos, existimemus, per ω, aut η, iota plane omisso, BERNARDVS MONTEFALCO [e], se reperisse, obseruat. Pandectes Florentinus, ut ex specimine Brencmanniano [f] apparet, ἘΝ ΤΗ͂ΙΠΌΛΕΙ, pro ἐν τῇ πόλει. Nos ipsi tale quid obseruauimus in LYCOPHRONIS excellenti Membrana, et nitidissime scripta, in forma ordinis quarti, cum TZETZAE scholiis, sed contractis, quod, eximium plane, atque unicum in hoc genere, κειμήλιον, cuius de aetate quid sentiremus, alias diximus [g], ut Bibliothecae nostrae Academicae, cuius in scriniis asseruatur, non minimum decus adiicit, sic optandum erat, ut a perito aliquo harum literarum diligens obscurissimi scriptoris cum Membrana illa susciperetur collatio. In hoc ergo quantiuis pretii Codice Vers. 2. μηκΰνθῆ scriptum est, pro μηκυνθῇ, ut mos recentior obtinet. Vers. 11. ἧπερ, pro ᾗπερ. Vers. 12. ὀρθῆ κελεύθω, pro ὀρθῇ κελεύθῳ. Vers. 40. ἀτράκτω, et αὐλῶ μέσω, pro ἀτράκτῳ, et αὐλῷ μέσῳ.

rius utique dixeris, regere Ablatiuum

e) MONTFAVC. *Palaeograph. Gr. II. 4. p. 138. 139*

f) BRENCMANN. *Hist. Pandect. Florent. II. 2. p. 109*

g) *Specim. Obss. in N. Test. ex Numis p. 6*

μέσῳ. Verſ. 50. δόλω, pro δόλῳ. Verſ. 55. αἰθάλω, pro αἰθάλῳ. Verſ. 105. πτερῶ pro πτερῷ. Verſ. 107. θεᾶ, pro θεᾷ. Verſ. 160. ὀμβρίω, pro ὀμβρίῳ. Et quae ſunt infinita alia exempla per totam Membranam. Addo aliud Scriptum eiuſdem LYCOPHRONIS, in Charta Bombycina, in forma ordinis maximi, qui Verſ. 8. habet θυμῶ, pro θυμῷ. Verſ. 10. πυκνῆ, pro πυκνῇ. Verſ. 12. σκότω, pro σκότῳ. Vt plura ne memorem. Hic Codex Bombycinus, quem clauſtra eiuſdem Bibliothecae tenent, annorum ferme trecentorum aetatem praefert. Hunc enim, ut extrema pagina commonefacit, in inſula Creta deſcripſit ARISTOBVLVS APOSTOLIVS, Hierodiaconus, MICHAELIS, cuius ſunt Prouerbia Graeca, filius, ſaeculo quinto decimo clarus, quem, ſcimus, Epigramma Graecum ſcripſiſſe, inſertum VARINI Camertis Hortis Adonidis, itemque Graecam Praefationem, praemiſſam Galeomyomachiae incerti auctoris. Omittitur idem Iota, ut hoc curſim attingam, in ὧδε, *hic*, *huc*, quod quidem, communi Grammaticorum conſenſione, numero Aduerbiorum habetur. Falſo. Eſt enim Ablatiuus Articuli compoſiti ὅσδε, ſed ἐλλειπτικῶς, quod plenius efferas ἐφ᾽ ᾧδε

τόπῳ,

τόπῳ, *in hoc loco*, uel *in hunc locum*, ut eximie ſcienterque LAMBERTVS BOS, uir, tum aliis perpolitis ſcriptis de Graeca literatura praeclare meritus, tum maxime, aperto enarratoque, quod tamen aliorum induſtria poſſit amplius patefieri, Myſterio Graecae Ellipſeos, quam utiliſſimam reconditamque doctrinam ut ignorat, ſic faſtidit, imperita multitudo. Eſt tamen, nec id raro, ubi non Locus, ſed rei Modus per ὧδε indicatur, ut in illo XENOPHONTIS[h], Ἐπιμέλονται δὲ ὧδε, *Ita autem procurant.* et alibi ſaepe. Sic, quod ARTEMIDORVS[i] dixerat, οὕτως εἰς τὴν αὐτοῦ θυγατέρα ἀπουσιάσει, hoc ipſum SVIDAS[k] ita exſcripſit, Ὧδε εἰς τὴν καὶ τὰ ἑξῆς. Hanc enim uoculam SVIDAE reddendam puto, pro ὁ δὲ, quod Cl. ALBERTI[l] in οὕτως immutare uolebat. Vbi fruſtra τόπος intelligas, rectiusque ſtatuas, deeſſe τρόπος, uti perfectius ſonet ita, ἐφ' ὧδε τρόπῳ, *ad hunc modum*, ut idem LAMBERTVS recte monet, quanquam nihil de

 caussa

h) XENOPH. Κύρου παιδ. *lib. I. p. 3. edit. Leuncl.*

i) ARTEMID. *Onirocrit. I. 81. p. 71*

k) SVID. *u.* ἀπουσιάσει

l) ALBERT. *Miſcell. Crit. cap. 2. p. 273*

caussa omissi iota praecipiat. HESYCHIVS: Ὧδε. εἰς τοῦτον τὸν τρόπον. Igitur, ut illuc reuertar, nihil relinquitur dubitationis, quin sit uera et germana lectio παραδοξονίκας, in qua forma compositionis nihil contrarium indoli Graeci sermonis cernitur. Sic Ὀλυμπιονίκης, Πυθιονίκης, Νεμειονίκης, Ἰσθμιονίκης, id est, qui uincit Olympia, Pythia, Nemea, Isthmia, de quibus PINDARVS. Sic LVCIVS ANTONIVS, OLYMPIONICVS, mallem Olympionices, in Lapide Romano apud FABRETTVM[m]. Sic Περιοδονίκης, uictor quatuor horum certaminum, ut saepe in priscis Marmoribus. Sic Παντονίκης, apud XIPHILINVM[n], quem alii dixere πάμμαχον. Sic Καπετωλιονίκης, cui palma in Ludis Capitolinis obtigit, in Lapide Florentino, quem deinceps memorabo. Sic CEROMATONICA, ex acutissimi REINESII[o] emendatione, qui, ceromate inunctus, uictor Ludicri extitit. Sic Heriae Thisbes, ACTIONICAE ET SEBASTIONICAE, hoc est, quae in Actiis, atque Augustalibus, Ludis uictoria potita est, Monimentum Sepulchrale, editum post alios, eleganter-

m) FABRETT. *ad Columm. Traian. p. 183*

n) XIPHILIN. *Ner. p. 177*

o) REINES. *Class. V. n. 64*

ganterque deſcriptum, a V. C. TOBIA GVT-BERLETHO [p]. In quibus exemplis ut quaedam ſunt, quae uix ullibi praeterea inuenias, ſic παραδοξονίκης, unius Chaeronenſis ſtylo formatum, idcirco minime eſt repudiandum, eoque diligentius, ut ἅπαξ λεγόμενον, Lexicis reddendum, ubi ad hunc diem non recte exulat.

IV

Subnectatur tandem, uelut appendicis loco, Ἀγὼν παράδοξος, quoniam is profecto nullus erit, niſi ei detur Athleta παράδοξος, unde ipſum certamen nomen illud nactum eſt. Huius mentionem facit DIO CHRYSOSTOMVS [q], eo in loco, quo excellenter docet, eſſe uirtute uincendas libidines, idque ſub perſona DIOGENIS Sinopenſis. Τοῦτον δὴ τὸν ΑΓΩΝΑ, ἐμοὶ καρτερὸν ὄντα, καὶ ΠΑΡΑΔΟΞΟΝ, πρὸς ἡδονὴν, καὶ πόνον, οὐδεὶς προσέχει τῶν ἀθέτων ἀνθρώπων, ἀλλὰ τοῖς ἀνδραπόδοις, τοῖς πηδῶσι, καὶ τρέχουσι, καὶ χορεύουσι. Qui locus, emendatius expreſſus, hanc

p) GVTBERLETH *de Saliis, cap. 24. p. 151. et Coniectan. in Monum. Her. Thisb. p. 170. 174*

q) DIO CHRYSOST. *Orat. VIII. p. 135*

hanc habet ſententiam. *Tale, tamque PARADOXVM, CERTAMEN aduerſus uoluptatem laboremque ſuſtinenti, mihi, nemo infrunitorum hominum animum attendit, ſed potius mancipiis, ſalientibus, et currentibus, et tripudiantibus.* Nam, deleto poſt ἀγῶνα commate, malo, pro καρτερὸν ὄντα, leuiſſima mutatione, una uoce καρτεροῦντι, quod quidam in ora paginae aſcripſit, quam, cum CASAVBONO [r], poſt uocem ἀγῶνα addere ἀγωνιζομένωι. Nec uero ſolicitandum puto ἀθέτων, quod, idem ISAACVS, in ἀθλίων, aut θεατῶν, mallet, refingi. Eſt enim, in Scholiis, Codici Regio Francogallico aſcriptis, ἄθετος ἄνθρωπος, ὁ ἀσύνετος, καὶ ἀβέβαιος, καὶ μητέποτε ἐν ταυτῶι μένειν προειρημένος, id eſt, explicante V· C· FEDERICO MORELLO [s], *infrunitus, propoſiti parum tenax, et cothurno uerſatilior.* Gloſſae PHILOXENI. Ἄθετος. *Inhabilis.* Quidni *Inſtabilis*, quod in Gloſſis Latinis redditur ἀβέβαιος, eo uocabulo, quo σχόλιον Gallicum ἄθετος explicabat. Proinde

r) CASAVB. *Diatribe in Dion. Chryſ. p.* 20

s) MORELL. *Schediaſm. ad Dion. Chryſoſt. p.* 34

inde tale certamen exul DIOGENES innuit, quod, cum contra duo aduerſarios, uoluptatem atque aerumnas, ſuſcipiendum ſit, cur παραδόξου nomen gerat, uidetur non ualde quaeri oportere. Sed, qua tandem ratione, quoue reſpectu, PHILOSTRATVS [t] HELIODORVM Sophiſtam παράδοξον ἀγώνισμα τύχης, *admirabilem fortunae lapſum*, appellauerit, non eſt expeditum

CAPVT IV

I. *Acceſſum ad Marmora, memoranda nominibus Athletarum* Παραδόξων. *Marquardi Gudii, de Praeſtantia Inſcriptionum Veterum, opus deſideratum.* Ἀθλητὴς, *intelligendum.* Ἡρακλῆς, *Fanum Herculis, ob conſecrationem ita dictum. Caſtor, apud Ciceronem, pro Aede Caſtoris.* Ἀνέθηκε, *uel* ἐτίμησε, *ſupplendum. Aeliani ſtylus laudatur.* Τιμὴ, *Honor, de ſtatuis, ſacrificiis, magiſtratibus.* II. *Sigla* ΔΑΜΑ, *in Graeco Marmore, explicata, contra Reineſium, Falconerium, Dalenium. Vaillant laudatus. Damaſias, nomen proprium.* III. Δαμαπαραδόξου, *in ueteri Lapide, explicatum, quod non intellexerat Prideaux. Duo uocabula, perperam in unum contracta. Cognomen Cleopatrae corruptum,* ΟCΑΝCΟΤΗΡΑ, *explicatum ex Numo.* Σωτὴρ, *in feminino accipi, negatur. Venus, mas et femina. De Numo Iuliae diſſenſum a Begero. Ammonius correctus. Nunneſius et Valckenaer notati. Loeſcherus laudatur. Heſychius emendatur. Vocalium* Η *et* Ι *crebra permutatio.* IV. *M. Aur. Demetrius,* παράδοξος, *ex duplici Marmore.* V. *Agathemero,* παραδόξῳ, *praenomen Caius redditum. Gruteriana Inſcriptio Latina correcta.* Γ *et* Λ *Graecorum,*

 C et

t) PHILOSTR. *Vit. Sophiſt. II. 32. p. 625*

C et L Latinorum, confunduntur. Harduinus cursim notatus. Pro Ἔνδοξος *forte* παράδοξος *legendum, in Lapide Arundelliano.* VI. *Coronatus contra omnes, id est,* παράδοξος

I

Sequitur, ut, perlustratis Graecis scriptoribus, Marmorum gentis eiusdem supellectilem cum cura excutiamus, neue quid omittatur eorum, quae coniuncta sint instituto nostro, omnem lapidem moueamus. Vtinam uero ad maturitatem peruenisset, lucemque uidisset, Opus insigne MARQVARDI GVDII, cuius quasdam schedas adhuc apud Batauos superesse, accepimus, quoniam non dubitamus, quin, ut uniuerse usum omnem ac praestantiam Titulorum, Saxis antiquis insculptorum, idem praestantissimus uir eo libro uoluit demonstrare, ita ratio Athletarum, quos dixerunt παραδόξους, ibidem explicatius tradita fuerit. Namque horum mentio fit in sex, non amplius, Graeciae ueteris Marmoribus, nisi nostra nos fefellit exquirendi industria. Primum ex his, quod, Romae quondam, ad Thermas TITI, repertum, postea Chigianum Palatium illustrauit, M. VLPIVM DOMESTICVM, Athletam παράδοξον, nominat, estque eiusmodi.

H IEPA

Η ΙΕΡΑ ΞΥΣΤΙΚΗ ΣΥΝΟΔΟΣ
ΤΩΝ ΠΕ
ΡΙ ΤΟΝ ΗΡΑΚΛΕΑ ΑΠΟ ΚΑ
ΤΑΛΥΣΕΩΣ
ΕΝ ΤΗ ΒΑΣΙΛΙΔΙ ΡΩΜΗ
ΚΑΤΟΙΚΟΥΝΤΩΝ
Μ· ΟΥΛΠΙΟΝ ΔΟΜΕΣΤΙΚΟΝ
ΔΙΑ ΒΙΟΥ ΞΥΣΤΑΡ
ΧΗΝ ΚΑΙ ΑΡΧΙΕΡΕΑ ΤΟΥ ΞΥΜ
ΠΑΝΤΟΣ ΞΥΣΤΟΥ ΠΕΡΙΟ
ΔΟΝΕΙΚΗΝ ΠΑΡΑΔΟΞΟΝ ΕΠΙ
ΒΑΛΑΝΕΙΩΝ ΣΕΒΑΣΤΟΥ
ΤΟΝ ΕΑΥΤΩΝ ΠΡΟΣΤΑΤΗΝ
ΚΑΙ ΑΥΤΟΝ ΠΡΕΣΒΕΥΣΑΝΤΑ
ΚΑΙ ΑΙΤΗΣΑΜΕΝΟΝ ΤΟ ΤΕΜΕ
ΝΟΣ ΤΩ ΣΥΜΠΑΝΤΙ ΞΥΣ
ΤΩ ΤΗΝ ΤΕΙΜΗΝ ΑΝΑΘΕΝ
ΤΟΣ Μ·ΜΕΤΤΙΟΥ ΑΜΕΡΙΜΝΟΥ
ΕΠΙ ΑΡΧΟΝΤΩΝ
Λ·ΟΥΕΝΝΙΟΥ ΑΓΡΙΠΠΙΑΝΟΥ
ΚΑΙ Μ·ΜΕΤΤΙΟΥ ΑΜΕΡΙΜΝΟΥ

Hoc

Hoc SPONIVS [w] exscripsit. Ante eum REINESIVS [x], et, adiuncta luculenta explicatione, FALCONERIVS [y], eundem quidem Lapidem protulerunt, sed ita, ut si res ueniat in contentionem, non minima differentia appareat. Graecorum autem haec est sententia. *Sacra Xystica Synodus* Athletarum, *qui ad Aedem Herculis ab hospitio*, *in Regina* urbium, *Roma*, *incolunt*, *M· Vlpium Domesticum*, *Xystarcham perpetuum*, *totiusque Xysti summum Pontificem*, *Periodonicen Paradoxum*, *a Balneis Augusti*, *Moderatorem suum*, *postquam fuit legatione perfunctus*, *atque uniuerso Xysto Aedem petiit*, honorat, *statuam dedicante M· Mettio Amerimno. Archontibus*, *L. Vennio Agrippiano et M· Mettio Amerimno.* ΤΩΝ ΠΕΡΙ ΤΟΝ ΗΡΑΚΛΕΑ - - - ΚΑΤΟΙΚΟΥΝΤΩΝ. Intelligendum relinquitur ἀθλητῶν, quod addunt proximae Inscriptiones, apud eosdem Triumuiros, ita nempe, ΤΩΝ ΠΕΡΙ ΤΟΝ ΗΡΑΚΛΕΑ ΑΘΛΗΤΩΝ. Innuit Lapis Athletas, qui habitarent ad Aedem Herculis, seu, ut VARRO concisius dicit, *Athletas ad Herculis* [z], scilicet Fanum. Huic enim, quem,

w) SPON. *Miscell. Sect. X. p. 360 Athlet. p. 1*

x) REINES. *Class. V. n. 43*

y) FALCONER. *Inscript. Athlet. p. 1 extr*

z) LIPS. *Saturn. Serm. II. 23.*

quem, credunt, Ludis praesidere, ut diximus, Templa in Gymnasiis collocantur, teste VITRVVIO [a]. Sed illud Fanum, in titulo Marmoris, quod est singulare, dignumque annotatu, non dicitur τὸ Ἡράκλειον, nec τὸ Ἡρακλέους, scilicet ἱερὸν, aut ὁ Ἡρακλέους, scilicet ναὸς, ut saepe alibi, sed ὁ Ἡρακλῆς, *Hercules* ipse, idque propter uim solemnis Dedicationis, seu Consecrationis, qualis DEDICATIO AEDIS, in Numo FAVSTINAE matris [b], Templo circumscribitur, de quo ritu copiose eruditeque BRISSONIVS [c], GVTHERIVS [d], SELDENVS [e], explicant. Cum enim Pontifex *Templum Numini*, ex solemni formula, *Dedisset*, in medioque Signum Numinis statuisset, tantam haec ceremonia uim habere credebatur, ut Deus ipse locum, sibi consecratum, praesens insidere, *Templumque tenere* [f], existimaretur. Ex quo factum est, ut non magis Simulacra, quod alio tempore ostendimus, quam Delubra, ipsorummet Deorum, quibus essent sacrata, cierentur nominibus, ut Fanum Herculis, Ἡρακλῆς, in

a) VITRVV. *de Architect.* I. 7

b) OISEL. *Thes. Num. Tab.* CVII. 5

c) BRISSON. *de Formul. lib.* I. p. 113. 114

d) GVTHER. *de uet. Iure Pontif.* III. 11

e) SELDEN. *de Synedr. Hebr.* III. 13. p. 275. *sqq.* 279. *sqq.* 290

f) VIRGIL. *Georg.* III. 26. et SERVIVS *ad h. l.*

in Lapide memorato. Ac persimile quid apud M. CICERONEM [g] obseruo, qui, totus in castigando CLODII nefario scelere flagitioque occupatus, *Cum uero gradus*, inquit, *CASTORIS conuellisti, ac remouisti, tum, ut modeste tibi agere liceret, homines audaces ab EIVS TEMPLI aditu, atque ascensu, repulisti.* Vbi quid est, quaeso, *Castor*, aliud, TVLLIVM ipsum si interpretem adhibeas, quam *Templum* Castoris, quo gradibus ascenditur. Haud incommode eodem referas, quod alibi dixit idem CICERO [h], uerba de Ennensi Cerere faciens. *Tanta enim erat auctoritas, et uetustas, illius religionis, ut, cum illuc irent, NON AD AEDEM CERERIS, SED AD IPSAM CEREREM, proficisci uiderentur.* Pergo in Inscriptione. ΜΟΥΛΠΙΟΝ ΔΟΜΕΣΤΙΚΟΝ, scilicet ἀνέθηκε, uel ἐτίμησεν, ut FALCONERIVS [i] defectum explet, illud simul summonens, nomen eius, cui dedicetur monimentum, quarto casu hic poni, sicut in plurium titulis Numismatum, quos idem describit. Ἀνατίθεσθαι crebro reticeri, sed post casum tertium, Cl. LEISNERVS [k] animaduertit,

g) CIC. *pro Domo sua cap.* 21

h) CIC. *Verr. IV.* 49

i) FALCONER. *l. laud. p.* 32. 33

k) LEISNER. *ad Lamb. Bos de Ellips. Gr. p.* 259

uertit, eaque parte auget induſtriam Graecae Ellipſeos explanatoris doctiſſimi. Additur ἀνέθηκεν, idque poſt quartum caſum, in ueteri Inſcriptione Attica, quam, minoribus a GVILIELMO FLEETVOODO [l] exaratam literis, hic capitalibus et antiquis ſubiicimus.

ΤΟΝ ΑΡΧΙΕΡΕΑ ΤΩΝ ΣΕΒΑ
ΣΤΩΝ ΤΙΒ· ΚΛΑΥΔΙΟΝ ΑΤΤΙ
ΚΟΝ ΗΡΩΔΗΝ ΜΑΡΑΘΩΝΙΟΝ Η
ΑΝΤΙΟΧΙΣ ΦΥΛΗ ΑΝΕΘΗΚΕΝ
ΕΥΝΟΙΑΣ ΕΝΕΚΕΝ ΚΑΙ ΕΥΕΡ
ΓΕΣΙΑΣ ΤΗΣ ΕΙΣ ΤΗΝ ΠΑΤΡΙΔΑ

Id eſt. *Pontificem Maximum Auguſtorum, Tib. Claudium Atticum Herodem Marathonium Antiochena tribus dedicat, ob beneuolentiam, et beneficentiam in patriam.* Sic, in alia Inſcriptione ueteri, quam primus omnium IVLIVS CAESAR CAPACIVS [m] edidit, poſt eumque REINESIVS [n], HOLSTENIVS [o], DALENIVS [p], et alii.

ΕΥΜΗ-

l) FLEETVOOD *Inſcript. antiq. Syllog. Part. I. p.* 322

m) CAPAC. *Hiſt. Neapol. I.* 6

n) REINES. *Claſſ. I. n.* 56. *et Epiſt.* 35. *p.* 252

o) HOLSTEN. *ad Steph. p.* 340

p) DALEN. *Diſſ. IX. ad Antiq. et Marm. cap.* 1. *p.* 737

ΕΥΜΗΛΟΝ· ΘΕΟΝ· ΠΑΤΡΩΟΝ
ΦΡΑΤΟΡΣΙΝ· ΕΥΜΕΛΙΔΩΝ
Τ· ΦΛΑΥΙΟΣ· ΠΙΟΣ
ΦΡΟΝΤΙΣΤΗΣ· ΑΝΕΘΗΚΕΝ
ΣΥΝ· Τ· ΦΛΑΥΙΩΙ· ΤΕΚΝΩΙ

Hoc eſt. *Eumelum, Deum Patrium, Tribulibus Eumelidarum, Titus Flauius Pius, Curator, dedicauit cum Tito Flauio filio.* Τιμᾶν autem, quod intelligendum putarat FALCONERIVS, adeſt in Lapide Mytilenenſium Gruteriano, Α· ΒΟΥΛΑ· ΚΑΙ Ο· ΔΑΜΟϹ· ΕΤΕΙΜΑϹϹΕΝ· ΑΥΡ· ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΝ· *Senatus Populusque honorauit Aurelium Artemidorum.* Et in Sponiano, ΑΝΤΩΝΙΝΟΝ ΕΥϹΕΒΗ ---- Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟϹ ΤΩΝ ϹΑΡΔΙΑΝΩΝ ΕΤΙΜΗϹΕΝ ΗΡΩΑ. *Antonium Pium - - Senatus Populusque Sardianorum coluit Heroa.* Saxum utrumque ab HARDVINO [q] producitur. Adde, ex Thyatirenſi Marmore, quod deinceps integrum dabimus, Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ ΕΤΕΙΜΗΣΑΝ ΟΥΛΠΙΑΝ ΜΑΡΚΕΛΛΑΝ. Mitto plura. Atque hic eſt

q) HARDVIN. *Num. Popp. et Vrbb.* p. 335. 336

eſt ille M. VLPIVS DOMESTICVS, qui, miſſus ad HADRIANVM, Imperatorem, legatus, id enim ex alia Inſcriptione cognoſcitur [r], reponendis tabulis publicis locum domiciliumque impetrat. Dicitur autem περιοδονίκης παράδοξος, ut, eum, intelligas, in quatuor illis Graeciae Ludis, quos eximie Ἱεροὺς Ἀγῶνας uſurparunt, uno die extitiſſe uictorem. Ceterum id, quo dedicatur DOMESTICVS, Τιμὴν Lapis appellat, *Statuam* uiri docti haud inepte explicant. Quod ut robuſtius fiat, AELIANVM [s] teſtem dabo, qui, cum eſſet natione Romanus, ſic excellenter Graece ſcripſit, ut Athenis natus uideretur. Ἀθηναῖοι δὲ τὸν Κηφισσὸν ἄνδρα μὲν δεικνύουσιν ΕΝ ΤΙΜΗΙ, κέρατα δὲ ὑποφαίνοντα. *Athenienſes autem Cephiſſum uirili quidem forma effingunt IN STATVA, ſed cornua exerentem.* quem ad locum ὁ ἐξοχώτατος PERIZONIVS ita. *Verterim*, in honore Statuarum, *ſeu*, quando eum honorant, *Statua illi dedicanda, uel ſacris etiam faciendis.* Duplex explicatio, ſed priorem antefero. Perſimiliter MAXIMVS TYRIVS, quod idem uir

E doctus

r) GRVTER. *p. 315. n. 9* s) AELIAN. *Var. Hiſt. II. 33*

doctus iam uidit, uerba de Signis Deorum faciens, uocem τιμὴ ad Fluuiorum cultum adhibet. Quo praeterea referenda esse puto eiusdem uerba Philosophi[t], quae non ita multo post leguntur. Ἔιτα ποταμοὶ μὲν διέλαχον ΤΑΣ ΤΙΜΑΣ. *Itane uero et fluuiis suae obtigerunt STATVAE.* Clare in primis PAVSANIAS[u] Statuam Olympionicae τιμὴν usurpat. Ἐνταῦθα καὶ Ἀναξιμένους οἶδα ΕΙΚΟΝΑ. *Vidi etiam ibi Anaximenis EFFIGIEM.* et mox de eadem. Ἡ δὲ οἱ ΤΙΜΗ γέγονεν ἐν Ὀλυμπίαι παρὰ τῶν Λαμψακηνῶν τοῦ δήμου. *Hanc autem ei STATVAM posuit populus Lampsacenorum.* Id uero μετωνυμικῶς. Ideo enim Statuae ponuntur, ut honos bene meritis habeatur. Nempe τιμὴ, atque *Honor*, eam rem interdum signant, quae adiunctum habet honorem, ut, illam si sis adeptus, hunc simul possideas. Itaque Sacrificia, quibus τιμῶμεν τοὺς θεοὺς, *Deos honoramus*, ut loquitur PORPHYRIVS[x], τιμαὶ dicuntur

HESIO-

t) MAX. TYR. *Diss. XXXVIII.* p. 378

u) PAVSAN. *II. Eliac. c. 18.* p. 495

x) PORPHYR. π. ἀποχ. *lib. II,* p. 68

HESIODO [y], ubi τιμὰς διδόναι μακάρεσσι θεοῖς, *Honores dare Diis beatis*, nihil aliud est, quam, quod modo dixerat, ἔρδειν μακάρων ἱεροῖς ἐπὶ βωμοῖς, *sacrificare Deorum sacris in aris*, sicut recte locum CASPAR BARTHIVS [*] interpretatur. *Perfecto laetus Honore*, apud MARONEM [a]. Vbi SERVII σχόλιον elegans. *Peracto Sacrificio, qui est Honor Deorum.* Sic magistratus, quorum comes est honor, Graece τιμαὶ, ut CASAVBONVS [b] notat ex ARISTOTELE. Τιμὴν ἔχειν, pro *Munere fungi*, Apis Attica [c] dixit. *Honores petere, capere, gerere*, apud NEPOTEM, et alios, eodem sensu

II

Est Marmor aliud, Graecis inscriptum literis, quod ibidem loci, quo superius, Romae cernitur, a pluribus [d] editum illud quidem, sed non minimum discrepante scriptura. Dabimus nos ita, sicuti SPONIVS exscripsit.

 Η ΙΕΡΑ

y) HESIOD. Ἔργ. κ. ἡμ. *u. 138. seq. compar. u. 136*

*) BARTH. *ad Gratii Cyneget. p. 150*

a) VIRGIL. *Aen. III. 178*

b) CASAVB. *ad Polyb. p. 81*

c) XENOPH. Κύρου παιδ. *lib. I. p. 9*

d) REINES. *Class. V. n. 41.* FALCONER. *p. 60.* SPON. *p. 361.* VAN DALE *Diss. VIII. ad Antiq. et Marm. p. 649*

Η ΙΕΡΑ ΞΥCΤΙΚΗ CΥΝΟΔΟC
ΤΩΝ
ΠΕΡΙ ΤΟΝ ΗΡΑΚΛΕΑ ΑΠΟ
ΚΑΤΑΛΥCΕΩC
ΕΝ ΤΗΙ ΒΑCΙΛΙΔΙ ΡΩΜΗΙ
ΚΑΤΟΙΚΟΥΝΤΩΝ
Μ· ΑΥΡΗΛΙΟΝ ΔΗΜΟCΤΡΑ
ΤΟΝ ΔΑΜΑ
CΑΡΔΙΑΝΟΝ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΑ
ΑΝΤΙΝΟΕΑ ΑΘΗΝΑΙΟΝ
ΕΦΕCΙΟΝ CΜΥΡΝΑΙΟΝ
ΠΕΡΓΑΜΗΝΟΝ
ΝΙΚΟΜΗΔΕΑ ΜΙΛΗCΙΟΝ
ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΟΝ
ΑΡΧΙΕΡΕΑ ΤΟΥ CΥΜΠΑΝΤΟC
ΞΥCΤΟΥ ΔΙΑ ΒΙΟΥ
ΞΥCΤΑΡΧΗΝ ΚΑΙ ΕΠΙ ΒΑ
ΛΑΝΕΙΩΝ CΕΒΑCΤΟΥ
ΠΑΝΚΡΑΤΙΑCΤΗΝ ΠΕΡΙΟ
ΔΟΝΕΙΚΗΝ ΠΥ
ΚΤΗΝ ΑΛΕΙΠΤΟΝ ΠΑΡΑ
ΔΟΞΟΝ

Ore Romano. *Sacra Xyſtica Synodus* Athletarum, *qui ad Herculis ab hoſpitio in* urbium *Regina, Roma, incolunt, M. Aurel. Demoſtratum, Dama ...., Sardianum, Alexandrinum, Antinoenſem, Athenienſem, Epheſium, Smyrnaeum, Pergamenum, Nicomedenſem, Mileſium, Lacedaemonium, Pontificem Maximum totius Xyſti perpetuum, Xyſtarchum, et Auguſti a Balneis, Pancratiaſten, Periodi uictorem, Pugilem indefeſſum, Paradoxum*, ſcilicet conſecrat. Athleta παράδοξος, cuius hic mentio, eſt M. AVRELIVS DEMOSTRATVS. Hoc dubium non habet. Sed illud quaeri poteſt, quonam ſpectet ΔΑΜΑ, quod ſtatim annectitur. Vtrum de hoc dixerit aliquid uir illuſtri doctrina, SCIPIO MAFFEIVS, iis conſtabit, quorum in manibus eſt liber eius poſtumus de Graecorum Siglis Lapidariis, quem nuper ab IVLIO CAESARE BECELLO Veronae editum eſſe, accepimus. REINESIO ΔΑΜΑΝ, ſic enim ipſe dat, mutilate ſcriptum uidetur, pro ΔΑΜΑΣΚΗΝΟΝ, *Damaſcenum*. FALCONERIVS, etſi uocabulum, in commentariis ad praeſens Marmor ampliſſimis, omnino praetermittit, tamen ita Latine reddit, *M. Aurelio Demoſtrato Damae*, uoce ad ipſum nomen Athletae relata. ANTONIVS

 VAN

VAN DALE ſic ſe gerit, uti, in Reineſiana ſententia eum acquieſcere, haud obſcure appareat. Mihi uero ſi detur, tantis uiris, quorum eruditionem ego ueneror, modeſte intercedere, dixerim ſane, ſcriptum eſſe per Siglam ΔΑΜΑ. ſed explicandum *Damaſias*. Cito teſtem locupletem, IOANNEM VAILLANT, eruditiſſimum uirum, tantaque priſci aeris notitia clarum, quanta pauci. Hic, Notas Graecorum Numiſmatum interpretans, haec ponit. ΔΑΜΑ. Δαμασία. *Damaſiae. Nomen Magiſtratus.* Quod eſt uerissimum. Numus Neronis [e], cum hoc titulo, ΤΙ· ΔΑΜΑΣΙΑΣ ΜΙΛΗΣΙΩΝ· *Titus Damaſias, Mileſiorum.* Alius eiuſdem Imperatoris, ΕΠΙ Τ· ΔΑΜΑ· hoc eſt, *ſub Tito Damaſia*, ut recte HARDVINVS [f], contra TRISTANVM atque PATINVM, quorum uterque Damaſcenorum nomen hic perinde ſibi reperire uiſi ſunt, ac REINESIVS in Marmore. In Numis Eretrienſium eſt populus Euboeae, ΕΡΕΤΡΙΕΩΝ· ΔΑΜΑΣΙΑΣ· *Eretrienſium, Damaſias.* In Clazomeniorum, CΤΡ· ΦΙΛΩΝΟC· ΔΑΜ· ΤΟ Β· *Praetore Philone Damaſia*

e) VAILLANT *Num. Impp. Graec. p. 326*

f) HARDVIN. *Num. Vrbb. et Popp. p. 132*

sia iterum. In Acrasiotensium, ΕΠΙ· CΤΡΑ· ΔΑΜΑ· ΑΤΤΑΛΟΥ· Β. *Sub Praetore Damasia, Attali filio, iterum.* Quos titulos Numismatum idem HARDVINVS [g] descripsit. Elegans in primis Numus Licinii Valeriani, in Gaza Francorum Regia [h], ubi Mensa, Vasis utrinque impositis, ex quibus Palmae rami surgunt. In medio Sertum, literis inscriptum ΟΛΥΜΠΙΑ· infra mensem Amphora stat. Sunt nimirum Ludorum haec symbola. Titulus in ambitu. ΕΠΙ· C· ΑΥΡ· ΔΑΜΑ· ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ· *Sub Praetore Aurelio Damasia, Pergamenorum.* Habet idem CIMELIVM [i] alium Numum, sub eodem Imperatore cusum a Pergamenis, qui Aesculapium Fortunamque, stantes, effingit, haecque legenda dat, ΕΠΙ· C· ΑΥΡ· ΔΑΜΑ· ΑCΙΑΡΧ· *Sub Praetore Aurelio Damasia, Asiarcha.* In Anonymi Descriptione Olympiadum Eusebiana, Δαμασίας, AMPHIPOLITES, et Δαμασίας, CYDONIVS, alter CXV, alter CCI, Olympiade stadii uictor. Fuerit ergo uerum atque integrum

g) HARDVIN. *l. laud. p. 155. 251. 564*

h) *Mus. Ludon. XIV. Tab. XXXI. 5*

i) *Mus. Gallic. Tab. ead. num. 5*

grum nomen Athletae noſtri, M. AVRELIVS DEMOSTRATVS DAMASIAS. Quem quidem Saxum noſtrum παράδοξον celebrat, qui Pancratio, et Periodo, et Pugilatione, adeoque ſex uictoriis, eodem die partis, nomen ſuum illuſtrauerit

III

Nouum exemplum παραδόξου M. VLPIVS praebet, incertum, an is ipſe, quem primum Marmor ſupra nominauerat. Abeſt enim cognomentum DOMESTICVS. Hunc mihi uide, ſi placet, in literato Saxo Graeciae Aſiaticae.

ΑΓΑΘΗΙ ΤΥΧΗΙ
Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ
ΕΤΕΙΜΗΣΑΝ
ΟΥΛΠΙΑΝ ΜΑΡΚΕΛΛΑΝ
ΤΗΝ ΙΕΡΕΙΑΝ ΤΗΣ ΑΡΤΕ
ΜΙΔΟΣ ΜΑΚΡΟΥ ΟΥΛΠΙΟΥ
ΔΑΜΑΠΑΡΑΔΟΞΟΥ
ΚΑΙ ΚΑΝΔΙΔΙΑΣ ΒΑΣΣΗΣ
ΘΥΓΑΤΕΡΑ ΕΠΙΤΕΛΗ
ΣΑΣΑΝ ΤΑ ΤΗΣ ΘΕΟΥ

ΜΥ-

ΜΥΣΤΗΡΙΑ ΚΑΙ ΤΑΣ ΘΥ
ΣΙΑΣ ΛΑΜΠΡΩΣ ΚΑΙ
ΠΟΛΥΔΑΠΑΝΩΣ
ΑΝΑΣΤΗΣΑΝΤΩΝ ΤΗΝ ΤΕΙ
ΜΗΝ ΑΝΔΡΟΝΕΙΚΟΥ ΤΟΥ ΑΝ
ΔΡΟΝΕΙΚΟΥ ΚΑΙ ΣΤΡΑΤΟΝΕΙ
ΚΗΣ ΤΗΣ ΜΗΝΟΓΕΝΟΥΣ
ΤΩΝ ΘΡΕΨΑΝΤΩΝ
ΕΚ ΤΩΝ ΙΔΙΩΝ

Marmor, ita, ſicut ante oculos poſuimus, exſcriptum eſt Thyatirae, et editum, ab exquiſitae uiro induſtriae multarumque literarum, THOMA SMITHO [k], Eccleſiae Anglicanae Presbytero, qui Minorem Aſiam, cum ipſius capitis periculo, *ἱςορίας ἕνεκα*, peragrauit, et illuſtrium quondam urbium cadauera luſtrauit, reliquiasque morientis Graeciae percontatus eſt. Idem poſthac Marmoribus Oxonienſibus ſubiunxit HVMPHRIDVS PRIDEAUX [l], eruditiſſimus uir, ſed non ſatis accurate dedit ΕΤΕΙΜΗΣΕΝ, item ΚΑΝΙΔΙΑΣ, et ΤΙΜΗΝ. Latina inter-

k) SMITH. *Notit. ſept. Aſiae Eccleſ. p. 21. edit. nou.*

l) PRID. *Append. ad Marm. Oxon. XIX. p. 298*

interpretatio, ab eodem HVMPHRIDO adornata, haec eſt. *Cum bona fortuna. Senatus et Populus honorauit Vlpiam Marcellam, Sacerdotem Dianae, Marci Vlpii Damaparadoxi, et Canidiae Baſſae, filiam, poſtquam peregiſſet Deae myſteria et ſacrificia ſplendide et ſumptuoſe. Erigentibus columnam honorariam Andronico, Andronici filio, et Stratonice Menogenis, qui aluerunt, ex propriis.* Vbi ſcribendum potius, *honorarunt*, et *Candidiae*, ad SMITHI exemplum, ut diximus. Illud autem ΔΑΜΑΠΑΡΑΔΟΞΟΥ quid ſit, plane non eſt aſſecutus doctus interpres, qui reddit *Damaparadoxi*. Quid hoc monſtri eſt. Nempe non animaduertit ille mendum fabrile, quod facile cernitur. Erat ſcribendum ΔΑΜΑ· ΠΑΡΑΔΟΞΟΥ· *Damaſiae, Paradoxi.* Satis, et abunde, modo dictum de Sigla ΔΑΜΑ. id eſt, Δαμάσιας. Hae duae uoces, cum ſeparatim exarandae eſſent, inſcitia imprudentiaque lapicidae, coierunt in unam. In qua praua coniunctione uocabulorum, quo frequentius olim erratum eſt, eo plures locos Graeciae ſcriptorum potuit ὁ ἐξοχώτατος CANTERVS[m], eodem Critices adminiculo, in priſtinum reſtituere. Sic

m) CANTER. *de rat. emend. Graec. Auct. cap. 4*

Sic glossam HESYCHII, Ἀένδητος, ἔπνει, recte Clar. ALBERTI, post COCCEIVM et KVSTERVM, emendat Ἀεν. ἄητο, ἔπνει. Apud eundem. Ἀκρεαπαῖς. θήλεια, pro Ἀκραία. παῖς θήλεια, ut a uiris doctis notatum. Sic, Graecis in Numis, non solum ΕΠΙΚΟΡΛΥΠΟΥ, quod VAILLANT, *sub Praetore Corlupo*, explicarat, CVPERVS [n], duas uoces coisse in unam, suspicatus, hunc in modum distinguit, ΕΠΙ· ΚΟΡ· ΛΥΠ· hoc est, *sub Cornelio Lupo*, sed etiam ΕΠΙ ΣΕΡΟΤΗΝΙΟΥ, quod SPANHEMIVS [o], a quo Numus ipse affertur, *sub Serotinio* fuerat interpretatus, IACOBO GRONOVIO [p] distinctius ita scribendum explicandumque uidetur, ΕΠΙ ΣΕΡ·ΟΥΗΝΙΟΥ. *sub Seruio Ouinio.* Simili disiungendi lege, obseruatum, ad integritatem reuocandum esse monstrum uocabuli, ΟCΑΝCΟΤΗΡΑ, quod, CLEOPATRAE cognomen, TRISTANVS ex aere ueteri produxerat. Ὀσσανσώτειρα SCALIGER [q] et COLOMESIVS [r] uole-

n) CVPER. *Numism. antiq. explic. p.* 231

o) SPANHEM. *Vs. Numism. Diss. VII. p.* 615. *edit. II.*

p) GRONOV. *Collation. cum Cod. MS. Stephan. p.* 793

q) SCALIG. *Addend. ad Graec. Euseb. p.* 430

r) COLOMES. *Biblioth. Chois. p.* 438. *Oper. edit. Fabric.*

uolebant, Aegyptium nomen esse, arbitrati. SPANHEMIVS [s] ac MONACHVS [t] Θεὰν Σωτῆρα [u]. Post hos omnes, LOESCHERVS

s) SPANHEM. *Praest. Num. Tom. I. p. 418. 419*

t) LE MOINE *Var. Sac. Tom. II. p. 128. 129. 130*

u) Mireris, oportet, SPANHEMIVM ac MONACHVM, uiros utique eruditissimos, eo induci potuisse, ut, Σωτὴρ perinde ac Σώτειρα *Seruatricem*, crederent, designare. Dubito certe, ullum produci posse locum boni scriptoris, ubi Σωτὴρ θηλυκῶς, seu in femineo genere, accipiatur. Nihil enim mouemur Inscriptione ueteri, Θεοῖς Σώτηρσιν, hoc est, PTOLEMAEO, huiusque coniugi BERENICAE, dicata, cum non solam BERENICEN respiciat, sed maritum includat simul, ut a digniore utique, prout notum, fieri debeat denominatio. Venus autem Σωτὴρ in Graeco Lapide, Romae quondam uisendo, apud GRVTERVM *p. 59. n. 1.* ΑΦΡΟΔΙΤΗΙ· ΘΕΑΙ· ΠΑΝΑΓΑΘΩΙ· ΚΑΙ· ϹΩΤΗΡΙ· quod ea mas et femina iuxta, ex ueteris more superstitionis, credita fuit, ἑρμαφρόδιτος ideo THEOPHRASTO, apud HESYCHIVM in. Ἀφρόδιτος, et CATVLLO, Eleg. ad Mallium, *duplex* usurpata. Vnde Venus, apud MACROBIVM *Saturn. III. 8.* qui cum VOSSIVS de *Analog. I. 11. p. 418.* comparetur, *Deus* salutatur, ac Venerem Amathusiam, specie uirili, barbatam, idcircoque Ἀφρόδιτον appellatam, colunt Cyprii, de qua legendi MEVRS. in *Cypro II. 8. p. 23.* SELDEN. *de Diis Syr. II. 2. p. 239. et c. 4. p. 280.* SPANHEM. *Animaduers. ad Cherbur. de Relig. gent. Vol. IV. Miscell. Nou. Lips. p. 149.* VORM. *de corrupt. Antiq. Hebr. apud Tacit.* et MARTIAL. *uestig. II. 4. p. 56. seq.* Viri Docti ad Hesych. *Tom. I. p. 650. seq. not. 26.* Cuius masculae Veneris icon, in Numo apud SEGVIN. *Sel. Numism. p. 103.* et in Gemma apud MAFFEI. *Gemme Antiche Part. III. n. 10.* Ergo Venus, in Marmore, ΣΩΤΗΡ, plane ut in Iuliae Numo apud BEGER. *Thes. Brandenb. Tom. III. p. 132.* VENER. VICTOR. quod etsi doctissimus BEGERVS *Venerem Victoriam* explicat, commodius tamen, credam, ita suppleri, *Veneri Victori*, cum quidem ipsa Dea, effi-cta in Numo, toto corpore uultuque uirile quiddam prodat. Hac quoque, minime dementi, ratione apud AMMONIVM π. διαφόρ.

RVS[x] noster, Dresenensium ATHANASIVS, cuius certe nomen, ut nunc, compluribus sanctissimisque meritis, fulget eximie, sic omni memoriae posterorum erit sacrosanctum, ΘΕΑ ΝΕΩΤΕΡΑ legendum, statuebat. Quod quidem uerissimum esse, docet plane eximius Numus M. Antonini, editus ab IOANNE VALENTE[y] summo uiro, cuius icon

λέξ. u. Κόρυδος, in uerbis Κορύδαλος δὲ, δῆμος Ἀθήνησιν, ἐν ᾧ σωτῆρος κούρης ἱερὸν, corrige sine cunctatione σωτείρας, ut *Proserpinam Seruatricem* intelligas, ipso uultu in Cyzicenorum Numismatis, apud LOCHNERVM *de Papauere p. 91. n. 1. 2.* et in *Museo Francorum Regis Tab. I. 5. XII. 5.* signatam, cum hoc titulo ΚΟΡΗ· CΩΤΕΙΡΑ· ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. *Proserpina Seruatrix. Cyzicenorum.* Quod cum dudum ad AMMONIVM meum annotassem, uidi nuper, simili modo Cl. VALCKENARIVM *Animadu. ad Ammon. II. 12. p. 129.* ducibus ASCALONITA atque MOSCHOPVLO, Σωτείρας Κόρης refinxisse, quem tamen doctum uirum mox etiam Σωτῆρος Κόρης admittere, si legas, haud immunem prorsus ab eo, quo diximus EZECH. SPANHEMIVM STEPHANVMque LE MOINE teneri, errore eum pronunties. Κόρη autem et Κούρη, perinde ac Διόσκοροι et Διόσκουροι, utrumque recte, ut non sane correctione sit opus. At male PETRVS IOANNES NVNNESIVS, *ad Phrynich. Eclog. Att. p. 67.* uir alioqui non expers Graecarum literarum, annuente, sicut uidetur, ipso VALCKENARIO, Mineruam credit, sub Κόρης Σωτείρας appellatione latere, ubi multo uerius, ex laudatis modo Numismatis, Proserpinam intelligas, longe lateque, ob sacra illa Atheniensium, ad quos Ceres, Proserpinam filiam quaerens, in illo errore fertur uenisse, per omnes Atticae Pagos, quorum in numero Corydalus, celebratam

x) LOESCHER. *de Vsu Num. in stud. theolog. p. 167. in Stromat.*

y) VAILLANT *Num. Impp. Vol. II. p. 8. edit. nouiss.*

icon eiusdem Reginae Aegyptiae uultum repraesentat, simul epigraphen, BACIΛICCA ΘEA NEΩTEPA, *Regina Dea Noua*, tam distincta luculentaque literarum positura, adiicit, nullus ut dubitationi locus relinquatur. Mihi, si quid addendum, praesto etiam HESYCHIVS est, cuius uulnus, ab incauta scribentis manu inflictum, sanare studebo. Scribit ille. Νομήματα, δικαιώματα. Dudum mihi suspectus fuit hic locus, ob uocem νομήματα, qua quis usus sit ueterum, nondum repertus est, quanquam simili modo det PHAVORINVS, perpetuus ille compilator Hesychianus. Erit, opinor, expedita lectio, Νόμιμα. τὰ δικαιώματα. Primum duo uocabula perperam in unum coacta. Deinde νόμιμα in νόμημα corruptum, facili, crebroque commissa, uocalium confusione, quae fontem habet affinitatem pronuntiandi, cum Graeci ueteres, ut eruditissimus quisque statuit, η non alio sono, quam ἰῶτα, efferrent. Itaque et praestantissimus MONTEFALCO [z], in octaui, noni, decimi, saeculorum Codd. item in alio uetustissimo Scripto,

z) MONTFAUC. *Palaeogr. Gr.* III. 3. p. 213. cap. 5. p. 230. cap. 7. p. 236. 242. IV. 5. p. 292

pto, et IOANNES ALBERTI [a], lux et decus Batauorum, cui plurimum debent debebuntque Graecae Musae, in Glossis Graecis, commutationem uocalium η et ι obuiam uident, et obseruant. Sic in quibusdam Codd. N. Instrumenti [b], ἐνεφάνησαν, pro ἐνεφάνισαν. Ῥήνισμα apud ALEXANDRVM TRALLIANVM, Medicum. Emendat IACOBVS GOVPYLVS [c], ῥίνισμα, ex Codd. DIOSCORIDIS, uel ῥίνημα, ex GALENI, AEGINETAE, AETIIque, exemplaribus. Sic, in Lapidibus Corporis Gruteriani [d], TIBEPHN, pro Τίβεριν, XAPHN, pro χάριν, et, in Saxis Reinesianae Collectionis [e], ZHCANTH, pro Ζήσαντι, ΚΑΛΛΗCΤΡΑΤΟC, pro Καλλίστρατος, BACHΛHOY, pro Βασιλείου. Nec dubito, quin SERVATORIS nostri nomen deprauatum CHRESTVS, sicut in exterarum gentium libris occurrit, ex eodem errore scriptionis profectum sit, cum quidam

a) ALBERT. *Not. ad Glossar. Gr. in N. Foed. p. 39. 57. 83. 137. 155. 157. 172. 174. 241*

b) *Act. Apost. XXV. 2*

c) GOVPYL. *Castigat. in Alex. Trall. p. 1*

d) GRVTER. *p. 912. n. 12. p. 1036. n. 10*

e) REINES. *Class. XI. 41. 63. XX. 34*

quidam Χρηστὸς reperirent, pro Χριστὸς, quod erudite, et, ut puto, uere, CHRISTIANVS VORMIVS [f] aſtruit. Pari modo apud HESYCHIVM νομήματα uitioſius exaratum, pro νόμιμα, τα, ut eadem disiunctione opus ſit, quam in ΔΑΜΑ· ΠΑΡΑΔΟΞΟΥ, quas uoces diſtinctas marmorarius perperam contraxerat, diximus, adhibendam.

IV

M. AVRELIVM DEMETRIVM, ex eodem genere Athletarum, dat inſigne Marmor Farneſianum, idque ſatis longum, primo a LIPSIO editum, poſt Gruterianis inſertum Lapidibus, denique multo integrius, facta cum Farneſiano prototypo collatione, a celebri Vrbis Antiquario [g], quem ſaepe laudauimus, deſcriptum. Huius initium, quod SCALIGER [h] quoque adduxit, hoc eſt.

Μ· ΑΥΡΗΛΙΟΥ· ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ·
ΑΡΧΙΕΡΕωC· ΤΟΥ· CΥΝ
ΠΑΝΤΟC
ΞΥCΤΟΥ

f) VORM. *de corrupt. Antiq. Hebr. apud Tacit. et Martial. ueſtig. I. 1. p. 8. 9*

g) FALCONER. *Inſcript. Athlet. p. 101*

h) SCALIG. *Emend. Temp. lib. V. p. 483*

ΞΥCΤΟΥ· ΔΙΑ· ΒΙΟΥ· ΞΥCΤΑΡ
ΧΟΥ· ΚΑΙ· ΕΠΙ· ΒΑΛΑ
ΝΕΙωΝ· ΤΟΥ· CΕΒΑCΤ
ΑΛΕΞΑΝΔΡΕωC· ΕΡΜΟΠΟ
ΛΕΙΤΟΥ· ΠΑΝΚΡΑΤΙΑ
CΤΟΥ· ΠΕΡΙΟΔΟΝΕΙΚ
ΠΑΛΑΙCΤΟΥ· ΠΑΡΑΔΟΞΟΥ
ΥΙΟC· ΜΑΡΚΟC· ΑΥΡΗ
ΛΙΟC
ΑCΚΛΗΠΙΑΔΗC· Ο ΚΑΙ· ΕΡΜΟ
ΔωΡΟC· Ο ΠΡΕCΒΥΤΑ
ΤΟC· ΤωΝ· ΝΕω
ΚΟΡωΝ· ΤΟΥ· ΜΕΓΑΛΟΥ
CΑΡΑΠΙΔΟC· Ο· ΑΡΧΙΕΡΕΥC
ΤΟΥ· CΥΝΠΑΝΤΟC
ΞΥCΤΟΥ· ΔΙΑ· ΒΙΟΥ· ΞΥCΤΑΡ
ΧΗC· ΚΑΙ· ΕΠΙ· ΒΑΛΑ
ΝΕΙωΝ· ΤΟΥ· CΕΒΑCΤΟΥ
ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΥC· ΕΡΜΟΠΟ
ΛΕΙΤΗC· ΠΟΤΙΟΛΑΝΟC
ΝΕΑΠΟΛΕΙΤΗC· ΚΑΙ

 ΗΛΕΙΟC·

ΗΛΕΙΟϹ· ΚΑΙ· ΑΘΗΝΑΙΟϹ ΒΟΥΛΕΥΤΗϹ· ΚΑΙ· ΑΛΛωΝ ΠΟΛΕωΝ· ΠΟΛΛωΝ ΠΟΛΕΙΤΗϹ

Latine. *M· Aurelii Demetrii, Pontificis Maximi totius Xyſti perpetui, Xyſtarchae, et a Balneis Auguſti, Alexandrini, Hermopolitae, Pancratiaſtae, Periodi uictoris, Palaeſtritae, Paradoxi, filius, Marcus Aurelius Aſclepiades, qui et Hermodorus, Senior Neocororum magni Serapidis, Pontifex Maximus uniuerſi Xyſti perpetuus, Xyſtarcha, et Auguſti a Balneis, Alexandrinus, Hermopolita, Puteolanus, Neapolitanus, et Eleus, et Athenienſis Senator, aliarumqne urbium multarum ciuis.* Ab hoc diſtinguendus non eſt DEMETRIVS HERMOPOLITES, quem, patrem ASCLEPIADIS, Paradoxumque Athletam, uetus Saxum nominat, integrum apud PANVINIVM [i], GRVTERVM [k], FALCONERIVM [l], reperiundum. Primos tres uerſus dant CASAVBONVS [m] et CVPERVS [n]. Totidem addunt SCALIGER [o] atque GAVLMINVS [p].

ΔΗΜΗ-

i) PANVIN. *de Lud. Circenſ. II. 1. p. 303. Tom. IX. Graeu.*

k) GRVTER. *p. 313. n. 10*

l) FALCONER. *p. 98*

m) CASAVB. *ad Dion. Chryſoſt. cap. 26. p. 45*

n) CVPER. *Obſ. I. 4*

o) SCALIG. *l. laud.*

p) GAVLMIN. *Not. in Euſtath. Amor. Iſm. et Iſmen. p. 27*

ΔΗΜΗΤΡΙΟΝ· ΕΡΜΟΠΟΛΕΙΤΗΝ
ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΑ· ΠΑΝΚΡΑΤΙΑ
CΤΗΝ· ΠΕΡΙΟΔΟΝΕΙΚΗΝ
ΠΑΛΑΙCΤΗΝ· ΠΑΡΑΔΟΞΟΝ
ΑΛΕΙΠΤΟΝ
ΤΟΝ· ΑΡΧΙΕΡΕΑ· ΤΟΥ· CΥΝ
ΠΑΝΤΟC· ΞΥCΤΟΥ
ΔΙΑΒΙΟΥ· ΞΥCΤΑΡΧΗΝ· ΚΑΙ
ΕΠΙΒΑΛΑΝΙ
ωΝ· CΕΒ· ΤΟΝ· ΠΑΤΕΡΑ
Μ· ΑΥΡ· ΑCΚΛΗΠΙΑΔΗC· Ο
ΚΑΙ· ΕΡΜΟΔωΡΟC

HIERONYMVS MERCVRIALIS [q], clarissimus uir, ita reddit. DEMETRIVM. HERMAPOLITAM. (quidni *Hermopolitam*) ALEXANDRINVM. PANCRATIASTEM. PERIODI. VICTOREM. PALAESTRITAM. ADMIRABILEM. ALIPTAM. PONTIFICEM. TOTIVS. XYSTI. PERPETVVM. XYSTARCHAM. BALNEIS. AVGVSTI. PRAEFECTVM. PATREM. M. AVREL. ASCLEPIADES QVI. ET. HERMODORVS. Habes ergo, in utroque titulo, DEMETRIVM, cui Pancratii, Periodi,

q) MERCVRIAL. *de Art. Gymnast. l. 12. p. 78*

Periodi, Luctationisque, uictoriae ſimili modo παραδόξου nomen pepererunt, atque DEMOSTRATO, quem paullo ante memorauimus.

V

Hoc in numero Paradoxorum fuiſſe praeterea VENTIDIVM SOTAM, AELIVM AGATHEMERVM, AVLVM OENEVM, AVRELIVM ANCHARENVM PHAEDRVM, MENECRATEM ASSYRIVM SYLLEVM, TIBERIVM CLAVDIVM ALEXANDRVM, eſt indicio praeclara Inſcriptio Florentina, quam, ex Atrio Marchionis RICHARDI, THOMAS REINESIVS [r] protulit, ſed emendatius, unoque uerſu integrius, IACOBVS SPONIVS [s]. Hic ergo Lapis, ut eius ſummam duntaxat attingam, totus enim, niſi cum diſpendio duarum ferme paginarum, exſcribi non poteſt, promiſſum LVCII SEPTIMII TRYPHONIS continet, creati Pontificis Antonini Pii, uelle ſe ſacerdotium illud, quoad uixerit, obire, Ludisque ſuo ſumptu Bacchum honorare. Facta promiſſio eſt, ΕΠΙ· ΑΡΧΟΝΤΟΣ· ΒΕΝΤΙΔΙΟΥ· ΣΩΤΑ· ΠΥΘΑΥΛΟΥ· ΠΕΡΙΟ-

r) REINES. *Claſſ. III. n.* 36.

s) SPON. *Miſcell. Sect. X. p.* 369

ΠΕΡΙΟΔΟΝΕΙΚΟΥ· ΠΑΡΑ-ΔΟΞΟΥ·ΚΑΙ·ΓΡΑΜΜΑΤΕΩΣ· ΑΙΛΙΟΥ· ΑΓΑΘΗΜΕΡΟΥ· ΚΙΘΑΡΩΔΟΥ· ΠΑΡΑΔΟΞΟΥ· ΚΑΙ· ΝΟΜΟΔΙΚΤΟΥ· ΑΥΛΟΥ· ΟΙΝΕΩΣ· ΤΡΑΓΩΔΟΥ·ΠΑΡΑ-ΔΟΞΟΥ. *Sub Archonte Ventidio Sota, ad Pythium modum tibias inflante, Periodi uictore, Paradoxo, et Scriba Aelio Agathemero, Citharoedo, Paradoxo, et Nomodicte Aulo Oeneo, Tragoedo, Paradoxo.* Id quod pollicitus fuerat, ſeſe, teſtatur, ipſa re praeſtitiſſe, ΕΠΙ· ΑΡΧΟΝΤΟΣ· ΑΥΡ· ΑΓΧΑΡΗΝΟΥ· ΦΑΙΔΡΟΥ· ΕΦΕΣΙΟΥ· ΚΩΜΩΔΟΥ· ΠΕ-ΡΙΟΔΟΝΕΙΚΟΥ· ΚΑΠΕΤΩ-ΛΙΟΝΕΙΚΟΥ· ΠΑΡΑΔΟΞΟΥ· ΚΑΙ· ΓΡΑΜΜΑΤΕΩΣ· ΜΕΝΕ-ΚΡΑΤΟΥΣ· ΑΣΣΥΡΙΟΥ·ΣΥΛ-ΛΕΩΣ· ΚΩΜΩΔΟΥ· ΠΕΡΙΟ-ΔΟΝΕΙΚΟΥ· ΠΑΡΑΔΟΞΟΥ· ΚΑΙ· ΝΟΜΟΔΕΙΚΤΟΥ· ΤΙΒ· ΚΛΑΥΔ· ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ· ΛΑΟΔΙΚΕΩΣ· ΤΡΑΓΩΔΟΥ· ΚΑΙ· ΠΟΙΗΤΟΥ· ΠΑΡΑΔΟΞΟΥ·

Sub Archonte Aurelio Anchareno Phaedro, Ephesio, Comoedo, Periodonice, Capitolionice, Paradoxo, et Scriba Menecrate Assyrio Sylleo, Comoedo, Periodonice, Paradoxo, et Nomodicte Tiberio Claudio Alexandro, Laodiceno, Tragoedo, et Poeta, Paradoxo. Ad AGATHEMERVM quod attinet, plenum eius nomen fuisse, credo, CAIVS AELIVS AGATHEMERVS. Habet enim Marmor Arundellianum [t], Γ· ΑΙΛ· ΑΓΑΘΗΜΕΡΟΝ ΕΦΕΣΙΟΝ ΚΑΙ ΣΜΥΡΝΑΙΟΝ ΚΑΙ ΠΕΡΓΑΜΗΝΟΝ ΚΙΘΑΡΩΔΟΝ ΙΕΡΟΝΕΙΚΗΝ ΚΑΙ ΜΕΛΟΠΟΙΟΝ ΕΝΔΟΞΟΝ. *C. Ael. Agathemerum, Ephesium, et Smyrnensem, et Pergamenum, Citharoedum, Hieronicam, et modulandi peritum, illustrem.* At uero in Gruteriano Saxo, L. ÆLIVS AGATHEMER· ut SAMVEL TENNVLIVS [u] exhibet, nam in editione mea [x] sic reperio, L. LAELIVS AGATHEMER· Quod mendosum. Corrige, ex Graecis, *C. Aelius.* Ortus error scriptionis ex literarum affinitate. Gamma certe Graecum, cuius forma uulgaris est Γ, olim

t) SELDEN. *Marm. Arundell. III. p. 34*

u) TENNVL. *Not. in Agathemer. Geograph. p. 74*

x) GRVTER. *p. 240*

olim ut Lambda scriptum fuisse Λ, idque, ut IOSEPHO SCALIGERO [y], eiusque suffragatori, LVDOVICO THOMASSINO [z], placet, ex Gamla Phoenicum, perite obseruat uir eximie literatus, Graecorumque monimentorum usu diuturno probatus, BERNARDVS MONTFAVCON [a], fidem faciente Marmore Baudelotiano, et Farnesianis Columnis, quas idem affert. In Baudelotiano, EN ΑΙΛΥΠΤΟΙ, pro ἐν Αἰγύπτωι. EN ΑΙΛΙΝΕΙ, pro ἐν Αἰγίνηι. ΜΕΛΑΡΟϚ, pro Μέγαρος. ϚΤΡΑΤΕΛΟΝ, pro στρατηγῶν. Hinc, μέγας et μέλας saepe confundi, notat praestantissimus Hesychiani Lexici Stator, IOANNES ALBERTI [b]. Atque Eruditiss. VALCKENARIVM [c] si audias, αὐγῆς ὄμμα, *lucem*, dixit, in stylo sublimi, SOPHOCLES [d]; ubi hodie extat αὐλῆς. Quanquam minus recte HARDVINVS [e], ob id merito a VALENTE

y) SCALIG. *Animadu. Euseb. p.* 110. 112

z) THOMASS. *Praef. ad Glossar. Hebr. P. IV. p.* 86

a) MONTFAVC. *Palaeogr. Gr. II.* 1. *p.* 122. *cap.* 3. *p.* 127. *cap.* 4. *p.* 135. 138. 140

b) ALBERTI *ad Hesych. Tom. I. p.* 205. *not.* 9

c) VALCKEN. *Animadu. ad Ammon.* I. 19. *p.* 75. 76.

d) SOPHOCL. *Trachin. u,* 205

e) HARDVIN. *Num. Pop. et Vrbb. p.* 40. 41. 486

LENTE [f] NORISIOque [g] castigatus, in Azarbensium atque Tarsensium Numis Siglas Γ. B. *Anno Secundo* interpretatus est, inuersum Γ, arbitratus, pro Λ, quod crebro formam Latini L assumpsit, positum esse, ut Λυκαβάντα, siue *Annum*, designet, quod potius reddendum fuerat *Decreto Senatus*, Γνώμη Βουλῆς. Atque etiam C et L a Scribis Latinis commisceri, nouum non est. L pro C, in Saxis Romanis, ut ASTYLVS, pro *Astycus*, NVTRILI, pro *Nutrici*, quae sunt annotata in capite undeuicesimo Indicis Reinesiani. C pro L, apud SEXTVM IVLIVM FRONTINVM, ubi *C. Licinio* uulgo, in ipsisque, Cassiniensi et Vrbinate, Codicibus, sed *L. Licinio* legendum, si recentissimum Frontiniani libri emendatorem, IOANNEM FRANCISCVM CORRADINVM [h], perbreuem illum quidem, at Critica facultate apprime praeditum, audiendum putemus. Vide ergo, quam facile apud GRVTERVM, negligentis festinantisque librarii manus *L. Aelio* dare potuerit, pro *C. Aelio*. Ceterum, si

f) VAILLANT. *Num. Impp. Rom. P. II. p. 254. edit. nouiss. Tom. II. Oper.*

g) NORIS. *de Epoch. Syromaced. Diss. IV. p. 382. 386. sqq.*

h) CORRADIN. *ad Frontin. de Aquaeduct. Vrb. Romae Loca Desperatiss. p. 28. Venet. 1742*

ſi quis in Arundelliana Tabula, Παράδοξον, quam Ἔνδοξον, malit, nae huic ego, Florentini Marmoris auctoritate nitenti, haud inuitus aſſenſero

VI

Tranſirem iam ad alia, miſſis Marmoribus, niſi, hunc in locum ab IOSEPHO SCALIGERO [i] referri, uiderem, ueterem hanc Inſcriptionem, quam etiam GRVTERVS [k], aliquanto tamen mutatam, edidit.

L· SVRREDIO· L· F
CLV· FELICI
PROCVRATORI· AB
SCAEN· THEAT· IMP
CAESAR· DOMITIAN
PRINCIPI
CORONATO CONTRA
OMNES SCAENICOS

In altero uerſu interpunge, CL· V· id eſt, *Clariſſimo Viro.* Hoc ad Saxum ita commentatur ὁ πάνυ. *Quod autem in ea inſcriptione dicitur coronatus contra omnes ſcenicos, manifeſto oſtendit, in commiſſione poematum hoc contigiſſe. Et, qui ita coronati erant contra omnes, ſiue hiſtriones, ſiue poetae, eſſent,*

F 5 *ſiue*

i) SCALIG. *Emend. Temp. lib. V. p.* 483

k) GRVTER. *p.* 331. *n.* 4

siue Hieronicae, omnes illi dicebantur Paradoxi. Addo huc alium Titulum uetusti Lapidis [l], cum superiore comparandum, cuius fere similis est.

M· VLPIVS· AVG· LIB· APOLAVSTVS
MAXIMVS· PANTOMIMORVM
CORONATVS·ADVERSVS·HISTRIONES
ET· OMNES· SCAENICOS
ARTIFICES

Hic, CORONATVS ADVERSVS HISTRIONES ET OMNES SCAENICOS ARTIFICES, non alius est, quam, Coronatus contra omnes Scenicos, quem Histrionem Παράδοξον SCALIGER explicabat. Quod etsi non sine ulla disputatione affirmari posse uidetur, est tamen eiusmodi, ut, dum quid exploratius liquidiusque afferatur, omnino amplectendum censeam.

CAPVT V

I. Tres Numi, ad Paradoxos Athletas probabiliter relati, maxime tertius. Singulis Certaminibus singula praemia proposita. II. *Numus Laodicensium Graecus adductus, et uberius expositus. Ludi Laodicensium, hincque illustratus locus Apocal. III. 21. V pro O alternat.* III. *Forma Theatri. Locus spectandi ludos pecunia redimendus.* Θεωρικὸν, *et* Θεατρικὸν, *dictum* ἐλλειπτικῶς. *Lucar. Geldum, id est, Pecunia. Leopardus*

l) GRVTER. *p. 331. n. 6.* BVLENGER. *de Theatro, l. 58. p. 974. Tom. IX. Graeu.*

dus et Putschius laudati. Θέαν ἀγοράζειν, *intellecto* διὰ, *explicatum. Eadem* ἔλλειψις *in* σεφανοῦν εὐαγγέλια, ὅρκια τάμνειν, θύειν ἐξιτήρια, *et consimilibus. Facere propter uiam.* Συκοφάντης, *quid proprie.* Φαίνειν, *forense uocabulum. Lucarius*, θεωρικοπώλης, *is, cui soluitur a ludorum spectatoribus. Glossae ueteres emendantur, haud probata Meursii correctione.* IV. *Sedent spectatores ludicri. Ades, reponendis Fastis Agonisticis, cur forma Templi.* Ὡς, *Accusatiuo iunctum, an idem, quod* πρός. *C et T. Latinorum*, Γ *et* Τ *Graecorum, confunduntur. Gradibus ascenditur in templa.* V. *Hellanodicae nudi. Mulieres lege interdicuntur Olympiis. Contrarium, at singulare, exemplum Pherenices. Er. Schmidii leuis error. Quo modo nudi, et tamen purpura uestiti, Hellanodicae. Sedent, tanquam Iudices praemiorum, Brabeutae. Locus Pollucis declaratus.* Ἐφεςᾶναι, *pro* καθίζειν. Εἰς, *pro* ἐν, *Attice in prorsa etiam, contra Scholiasten Sophoclis. Laus Xenophontis et Bergeri.* VI. *Paschalius cursim notatus.* Πλεθρίον *Lexicis reddendum. Numus Heracleotarum adductus et explanatus. Discessum a Begero. Vetus lectio Stephani defensa contra Holstenium. Sigma quadrum* Ε. *Ex literis Schlaegeri.* Μητὴρ, *Mater, idem, ac Metropolis. Tyrus, et Sidon, Phoenicum metropolis. Lux Paullo Galat. IV. 26.* μητὴρ πάντων, *Hierosolyma mystica.* VII. *Subligaculum Athletarum, posteriore aetate nullum, eaque in re Romani Graecis pudentiores.* Ἱμάτιον, *subligaculum. Loci,* τόποι, *in obscoenis.* Τόπος, *et* τύπος, *confunduntur. Athletae* Παράδοξοι, *tam nudi, quam* ὁπλῖται, *ut uidetur. Iusiurandum Athletarum.* VIII. *Quo modo* Παράδοξος *in Numo adsit, ostenditur*

I.

Etsi uerendum omnino est, ne suam operam disperdant, quotquot sibi Athletam, expressa appellatione Παραδόξου, ex aere ueteri, quamlibet solicitius excusso, polliceantur,

ceantur, nobis tamen, rationem denominandi considerantibus, ualde probabile fit, idem hominum genus, non nomine, sed persona, tribus in Numis, quos dicam, adesse. Aliter si cui uisum fuerit, haud multum contendam, ac satis habebo, praesertim in tam singulari re, et a nemine obseruata, si probabilitate quadam istae se commendent coniecturae. Primus ergo Numus, Nicaeae percussus, regnante Commodo, quem ANDREAS MORELLIVS[m], aeris antiqui scientia in primis clarus, exprimendum curauit, talis est.



Cernis Athletam, robusto ac bene saginato corpore, quem πλείστων κρεῶν γέμοντα, cum DIOGENE[n], dixeris, si quidem ἀθληταὶ τῆι ῥώμηι τῶν σωμάτων κοσμοῦσι τὴν πανήγυριν, *Athletae corporum*

m) MORELL. *Specim. rei Num. Tab. XII.* 3

n) DIO CHRYSOST. *Orat. Isthm. p.* 140

porum firmitate ac robore ornant ludorum celebritatem, ut excellentis ingenii Criticus, DIONYSIVS HALICARNASSENSIS [o], iudicat. Stat idem nudus, dextra Coronam capiti admouens, laeua grandiorem Palmae ramum complectens. Titulus. ΙΕΡΟϹ ΑΓΩΝ ΝΙΚΑΙΕΩΝ. *Sacrum Certamen Nicaeensium.* Statim alterum addo Numum, ſub Elagabali principatu cuſum a Stobenſibus, cuius ectypon apud LVDOVICVM DEBIEL [p], neruoſum et peritum utilitatis, ex aere ueteri percipiendae, explanatorem, ſpectandum, hic appono.



Laureatum caput Imperatoris, cum titulo M. AVREL. ANTONINVS. In parte auerſa ſtat nudus identidem Athleta, cum Corona in dextra, et Palma in ſiniſtra, aſcriptis in circuitu literis STOBENVM. MVNICIP. His

o) DIONYS. HALIC. Τέχνη, p. 33 p) DEBIEL *Vtilit. rei Numar. Vet. Num. XXII*

His in Numis, ut nota ſunt cetera, ſic illud ſingulare, dignumque notatione, Palma, et Corona, unum eundemque perornari Athletam. Singulis enim Certaminibus ſingula Praemia ſolent proponi, idque non magis ex IVLIO POLLVCE [q] cognoſcitur, qui Ludicra uincentibus τὸν ςέφανον, τὴν ῥάβδον τοῦ Φοίνικος, ἢ τὸν Φοίνικα, dat, quam ex ipſo PAVLLO [r], qui, facta Graecorum certaminum mentione, τὸ βραβεῖον, itemque τὸν ςέφανον, ab uno, dicit, capi. Qua re Athleta ſenex, pectore tenus expreſſus, appicta palma, oſtenditur in Lucerna Sepulchrali priſci operis [s], et Victor Circenſis, ſiniſtra equum freno tenens, dextra palmam, in Numo Seueri [t], et Deſultor, cum duobus equis, quorum alteri ipſe inſidet, palmam geſtans humero, nunc nudam, ut in Numo Sueſanorum [u], nunc lemniſcatam, ut in Amethyſto Gazae Brandenburgicae [x], et Nampheros, Hieronica, ut LEONARDO AVGVSTINO uidetur, altera clypeum galeamque, altera palmam,

q) POLLVX *III.* 152

r) I CORINTH. *IX.* 24. 25

s) BARTOL. *Vet. Lucern. Sepulchr. Part. I. Fig.* 30

t) PANVIN. *de Lud. Circenſſ. I. 11. p.* 126. *u.* 3. *Tom. IX. Graeu.* SCHEFFER. *de Re Vehic. II.* 11. *p.* 154

u) GOLTZ. *Sicil. et M. Graec. Tab. XVIII.* 8

x) BEGER. *Theſ. Brandenb. Tom. I. p.* 136

palmam, ostentans, in Carniola [y]. Et, quanquam uictores Lauro atque Esculo in Pythiis, Olea atque Apio in Nemeis, Pinu et Apio in Isthmiis, coronari dicuntur, hoc ita tamen ipsi ueteres interpretantur, ut, pro temporum diuersitate, praemium quoque mutauisse, appareat. Nec uero M. CICERO [z] *Gladiatorem PLVRIMARVM PALMARVM* eo dicit, quasi unius certaminis uictori plures dare uelit palmas, sed gladiatorem talem signat, qui, pluries uictor citatus, multa uirtutis mercede ditatus sit. Est etiam, cum, in ueterum Numis Agonisticis, apud plures obuiis, non unam, sed duas, imo quatuor, Palmas, Amphorae, seu Crateri, cernas, imponi. At ne hoc quidem symbolo plures, una, palmae singulis decernuntur uictoribus. *Plura enim uel in uno Agone peracta, ut notum, certamina, nempe cursus, luctae, pugilatus*, et sic amplius. *horum autem singulis, nempe qui in iisdem uicerant, totidem proinde Hieronicis, proposita erant praemia, seu Palmae*, sicut perite magnus ille, et in re Numaria Roscius [a], iudicat. M. autem VITRVVIO POLLIONI [b] nobiles

y) *Gemme Antiche figurate di* LEONARDO AGOSTINI. *P. I. n. 166*

z) CIC. *pro Sex. Rosc. cap. 6*

a) SPANHEM. *Epist. I. ad Morell. p. 71*

b) VITRVV. *de Architect. Praefat. ad lib. IX*

nobiles Athletae, qui Olympia, Pythia, Isthmia, Nemea, uicerint, more Graecorum, in conuentu stantes, *cum Palma et Corona* ferunt laudes, uti, nunc Palmam, nunc Coronam, uictori impertitam fuisse, doceat. Ac MARONI [c], in apparatu ludorum, quibus patris manes AENEAS honorat, collocantur in medio Circo

- - Sacri tripodes, uiridesque CORONAE,
Et PALMAE, pretium uictoribus.

Plures enim adsunt hic Victores, ut huic Corona, alteri Palma, decernatur. Ex quibus apparet, duplex praemium his in Numis, quos ante adduximus, non aliam ob caussam effingi, quam ut duum uictor certaminum luculentius atque distinctius cognoscatur. Iam, uictoriam illam geminam aut simul uno die partam esse, dicendum est, aut sensim, ac separatis temporibus. Si separatis temporibus, haud fortasse tanti fuerit, memoriam talis Athletae, cuius similes Graecia pluribus locis commonstrare poterat, publicis monimentis tanta cura indi, ad posteritatemque propagari. Cedo, cur non potius illorum uirtuti monimentum fuerit in aere ueteri statutum, quibus multo plurium brabea certaminum obtigerant, sicut HIPPOSTHENES in

c) VIRGIL. *Aen. V.* 110. 111

in Olympiis ſexies, eiusque filius, HETOEMOCLES, quem SYLBVRGIVS mallet ETYMOCLEM, quinquies, luctando uictor fertur extitiſſe [d], et, qui poteſt inſtar omnium eſſe, M. AVRELIVS ASCLEPIADES uiginti, amplius, certaminibus coronatus eſt, idque ſex annorum ſpatio, quod fidem paene ſuperaret, niſi tam praeclari Marmoris Farneſiani fuiſſet teſtimonio, de quo ſupra diximus, comprobatum. Huc nolo referre THEAGENEM Thaſium. Namque in coronis mille quadringentis, quas hic unus ex ludis collegiſſe ſibi perhibetur [e], etiam ſi ad quadringentos, cum AMASAEO, minuantur, tam inſanus numerus ineſt, ut locus PAVSANIAE mendoſiſſimus nemini non appareat, quem tamen reſtituere minime auſim. Certe autem Athletam eiusmodi, tot palmis nobilem, priſci orbis ignorare Numiſmata, fatebuntur ii, qui in ſtudio rei numariae ueteris progreſſum fecerunt. At maioris utique res momenti, digniusque ſpectaculum, priſcis uideri poterat, bis eodem die uictorem renuntiatum, ad excitandam poſterorum admirationem, aere effingi, multitudine uictoriarum, quas illa dies attulerat, totidem Coronarum Palmarumue numero, perquam diſtincte, deſignata.

d) PAVSAN. *Lacon. cap.* 13. *extrem.*

e) PAVSAN. *II. Eliac. cap.* 11. *p.* 478

ſignata. Stat igitur, in utroque Numo, Athleta, neutro depoſito praemio, ſed Coronam aeque ac Palmam tenens manibus et oſtentans, quaſi hoc ipſo teſtari uelit, recentem adhuc uirentemque eſſe utramque uictoriam

II.


Venio nunc ad tertium Numum, Graeco artificio, rerumque effictarum praeſtantia, iuxta inſignem, rariorem etiam, nec obuium, quem, ab HARDVINO [f], et VALENTE [g], praetermiſſum, ante biennium nitide exprimendum curauit Illuſtriſſimus Comes DE THOMAS [h]. Hic Numus aereus, nuper mihi, copioſius explicanti de Aſiarchis, curſim tantummodo memoratus e Muſeo FRANCISCI GOTTIFREDI, nondum enim tum noueram hanc recentem editionem, paullo explicatius hoc loco enarrari meretur, eoque magis, quo euidentius, ac paene dixerim clariſſime, idem genus Athletarum, de quo diſſero, icone ipſa deformat. Numum ipſum, dignus eſt enim, hic mihi ſpecta.

Perti-

f) HARDVIN. *Num. Popp. et Vrbb. p. 281. ſqq.*

g) VAILLANT *Num. Impp. Graec. p. 103. ſq.*

h) *Lettre de Monſ.* DE BOZE *ſur une Medaille antique de Smyrne du Cabinet de Monſ. le Comte de Thoms, qui y joint ſa Reponſe, p. 39. a la Haye 1744*



Pertinet is ad M. AVRELIVM ANTONINVM, cognomine CARACALLAM, qui, in clypeata imagine, barbatus, laureatus, sinistra manus astam cuspidatam laeuo humero impoi. RAN cernitur in aduersa parte, literis his, sine ulla distinctione, circumpositis, AYTKAIMAYPANTΩNЄINOCCЄB, id est, Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ, Μάρκος Αὐρήλιος Ἀντωνεῖνος, Σεβαστὸς, *Imperator Caesar, Marcus Aurelius Antoninus, Augustus.* Titulus auersae, Λ· AIΛ· ΠIΓPHC· ACIAPXHC· Γ· ANЄΘHKЄ· Hoc est, *Lucius Aelius Pigres, Asiarcha tertium, posuit.* Ita IOANNES PETRVS BELLORIVS [i] interpretatus

i) BELLOR. *Not. ad Nmism. Apib. insign. Tab. I. 3. p. 5*

tatus eſt. Nec iniuria. Γ enim, quod inter ACIAPXHC et ANEΘHKE ſedem ſuam habet, non penitus euanuit in Numo, ſed, temporum calamitate paullo detritum, adhuc quaedam ſui ueſtigia monſtrat. Et quanquam L. HOLSTENIVS [k], in deſcribendo titulo Numi, apud GOTTIFREDVM, ut ait ipſe, uiſi ab ſe, Gamma praetermittit, tamen, id fugitiuo oculo et feſtinanti calamo accidiſſe, arbitror, cum cogitem, ipſum Antiquarium Romanum, penes quem fuit hic Numus, itemque BELLORIVM, et, quem modo laudaui, Illuſtriſſimum Comitem, titulum ita delineaſſe. Λ· ΑΙΛ· ΠΙΓΡΗC· ACIAPXH[illegible] Γ· ANЄΘHKЄ · ut expreſſius Gamma illud cernas. Ima pars Numiſmatis ita inſcribitur. ΛΑΟΔΙΚЄΩΝ· NЄΩΚΟΡΩΝ· *Laodicenſibus Neocoris.* Quanquam Laodiceam, ut ceteras huius nominis urbes omittam, aliam habet Syria, ſitam ad mare, aliam Caria, ſeu Lydia, inter Lycum Caprumque, fluuios, interiacentem, quod diſcrimen harum ciuitatium etiam Numi ueteres accurate obſeruant [l], hic tamen utra ſit intelligenda, nihil

k) HOLSTEN. *ad Steph. Byz. p. 188*

l) SPANHEM. *Orb. Rom. cap. 16. p. 300. edit. nouiſſ.* HONOR. ARIGONI *Numiſm. Popp. et Vrbb. Tab. XIII. 4. ſqq.*

nihil habet quaestionis, ipsiusque Asiarchae designatione fit perspicuum. Neque enim hos sacrorum Certaminum Praefectos usquam reperias, nisi in angusta Minoris Asiae regione, in agro Lydiae ueteris usque ad Maeandrum proiecta, ut Phrygiam, Mysiam, Cariam, Lydiam, complectatur, quam Romani, acceptam a Pergamenis regibus, in prouinciae formulam redactam, Propriam appellarunt Asiam, aliisque nominibus Lydianam et Proconsularem, ut alio tempore, ex ipsis Numismatis, demonstrauimus. Ex quo potest judicari, quanta Ludorum persuasione capi se Laodicenses passi sint. Quo ualet praeterea Numus M. Aurelii, ab LVCA HOLSTENIO[m] et FRANCISCO MEDIOBARBO[n] laudatus, atque a Celeberrimo HEMSTERHVSIO[o] datus foras, in quo Luctatorum par, cum titulo. LAVDICEON. *Laudiceon*, pro Laodiceon. V pro O posito, ut saepe. *Laudicenorum* etiam in Cod. Iustinianeo, et in Pandectis *Laudicea*, atque in ueteribus libris *Laucoon* et *Laumedon*, pro Laocoon et Laomedon. Addatur SPANHEMIVS*. Sic, in Marmoribus, AGRV pro *agro*, CONSVBRINVS pro *consobrinus*,

 EPI-

m) HOLSTEN. *l. laud.*

n) MEDIOBARB. *Numism. Impp. p.* 297

o) HEMSTERHVS. *ad Pollux. p.* 1027. *n.* 5

* *de Vsu Numism. T. I. p.* 12

EPISTVLA pro *epistola*, LVCVS pro *locus*, NVMENCLATOR, pro *Nomenclator*, SACERDVS pro *sacerdos*, LVLLIO pro *Lollio*, MONTANV pro *montano*, et alia generis eiusdem, in Indice XIX. GRVTER. et REINES. notata. Sic in Graecis, συμβουλιῶν, apud HESYCHIVM, ἀκροβολίζεσθαι, pro συμβολῶν, ut uiri docti emendant. Vnde apparet, haud frustra, sed apposite ualde, IOANNEM Theologum [p], literis ad eosdem Laodicenses, iussu diuino, datis, Victoriae nominatim facere mentionem. Ο ΝΙΚΩΝ, δώσω αὐτῶι, καθίσαι μετ᾽ ἐμοῦ ἐν τῶι θρόνωι μου, ὡς κἀγὼ ΕΝΙΚΗΣΑ, καὶ ἐκάθισα μετὰ τοῦ πατρός μου ἐν τῶι θρόνωι αὐτοῦ. *VINCENTI dabo, sedere mecum in throno meo, sicut et ego VICI, et sedi cum patre meo in throno illius*

III

Sed ipsa icon Numismatis habet Theatrum, satis amplum ac spatiosum, quadrata forma, Ludis celebrandis aptum, ab ipsoque LVCA [q] bis nominatum eo loco, ubi ipsorum Asiarcharum meminit. Quod indicio est, non semper

p) APOCAL. III. 21. q) ACT. APOST. XIX. 29. 31

ſemper ad unam ſpeciem huius generis Theatra ſtrui conſueſſe. Nam hemicyclicam formam ISIDORVS HISPALENSIS [r], et, ex nouis, IACOBVS LYDIVS [s], annotant, ſed rotundam habet Theatrum Circenſe, in Numo Heracleotarum, quem deinceps exhibebo. Extra Theatrum, duas perſonas uidere licet, inter ſe colloquentes, credo, ut de mercede conueniant, aſtantibus utrinque totidem ſeruis, qui dextram ianuae admouent, tanquam parati iam ad intromittendos eos, qui ludos ſpectatum uenerant, ſed ſoluta prius mercede. Sic enim moris quondam in Graecia fuiſſe, accepimus. Etſi enim ſpectatores ſolemniter inuitari per Hellanodicas ſolebant [t], gratis tamen admitti non poterant, ſed erat ſingulis ſuus locus certo conſtitutoque pretio redimendus, idque, ut ferunt, inſtituto PERICLIS, qui primus dicitur τοὺς τόπους ὠνητοὺς, *locos* in Theatro *uenales*, feciſſe. Quod quidem pretium non ſemper aequale fuit, ſed uarians, pro temporum diuerſitate. Nunc enim drachma dabatur, nunc duobolus [u]. Athenis etiam, in ſpectaculo, Ἀιγέιρου θέα dicto,

r) ISIDOR. *Orig XVIII.42*

s) LYD. *Prolegom. ad Agoniſt. Sacr. p. 5*

t) PHILOSTRAT. *Vit. Apollon. Tyan. IV. 24.* APOLL. TYAN. *Epiſt. 24*

u) MEVRS. *Att. Lect. V. 12 et de A bont. Athen. III. 17.* CASAVB. *ad Theophraſt. cap. XI. p. 100.101*

dicto, ἐυώνου (intellige ἀντὶ τιμήματος, uel ἀργυρίου,) ὁ τόπος ἐπωλεῖτο, *pro uili pretio locus emptus est*, ut ait HESYCHIVS[x]. Idque Θεωρικὸν appellarunt, quoniam spectandi ergo, τῆς θεωρίας ἕνεκα, pendi solebat, non θεωρητικὸν, ut inquinate apud eundem HESYCHIVM, cui tamen docti uiri medicinam perite adhibent[y]. Dictum ἐλλειπτικῶς, ubi, haud incongrue, μίσθωμα, credas, omitti, imo et alia multa, quanquam nihil de hoc plane LAMBERTVS BOS. Ipsi HESYCHIO Θεωρικὸν ἀργύριον, SVIDAE[z] τίμημα θεωρικὸν, VLPIANO[a], POLLVCI[b], HARPOCRATIONI[c], et aliis, χρήματα θεωρικά. De quo Θεωρικῶι, praeter VALESIVM ad Harpocrationem, ac PETITVM ad Leges Atticas, quos LVDOLPHVS KVSTERVS[d], V. C. adduxit, uidendi, IOANNES MEVRSIVS, ISAACVS CASAVBONVS, IACOBVS DVPOR-

x) HESYCH. u. Θέα παρ' ἀιγείρωι

y) HESYCH. u. δραχμὴ χαλαζῶσα, *Tom. I. p.* 1032. *not.* 22. *edit. Albertin.*

z) SVID. u. Θεωρικά.

a) VLPIAN. *ad Olynth. I. p.* 94. *edit. Basil.* 1559

b) POLLVX *VIII.* 113

c) HARPOCR. u. Θεωρικά

d) KVSTER. *ad Suid. Tom. II. p.* 184

DVPORTVS: Aliis Θεατρικὸν, ſenſu non diſparili. *Lucar*, θεατρικὸν ἀργύριον, ex Gloſſis antiquis FVLVIVS VRSINVS [e] affert. At Gloſſae ita. *Lucar.* θεατρικὸν γελιαν, deprauata uoce ultima, quam in γέλτον mutat MEVRSIVS [f], ut detortum ſit ex Alemannico *Geldus*, id eſt, Pecunia. Haud inepte, ſi quid iudico. HENRICVS etiam SPELMANNVS [g] γέλτον Graecobarbarum agnoſcit, cum eoque *Geldum* confert. Quam uocem, miror, in CANGIANO Gloſſario Graeco praetermiſſam. Θεατρικὸν ἀργύριον tamen Lucar explicari, apud CHARISIVM [h] reperias, ſicut eum ueriſſime reſtituit maximus acutiſſimusque LEOPARDVS [i], et eodem modo expreſſit eruditus praecocisque ingenii iuuenis, qui, editis, et ad optimorum MSS· normam repurgatis, Grammaticis Latinis, ipſum SCALIGERVM in admirationem ſtuporemque dicitur, traduxiſſe, HELIAS PVTSCHIVS, Antuerpienſis. Hanc qui darent pecuniam, θέαν ἀγοράζειν dicebantur, quod Clar. DVPORTVS [k] monet

 ille

e) VRSIN. *ad Feſtum, u. Lucar*

f) MEVRS. *Gloſſar. Graecobarb. p. 102*

g) SPELMAN. *Gloſſar. p. 313*

h) CHARIS. *Inſtit. Grammat. lib. I. p. 25. Oper. Putſch.*

i) LEOPARD. *Emend. VII. 17*

k) DVPORT. *Praelect. in Theophraſt. p. 341*

ille quidem, ſed non obſeruat defectum orationis. Nam ſine dubio eſt, ornatus cauſſa, omiſſa Praepoſitio Διὰ, ut perfecte ſit, διὰ τὴν θέαν, τόπον ἀγοράζειν, *ludos ſpectandi cauſſa, locum emere.* Sicut in illo, ςεφανοῦν εὐαγγέλια, *ob laetum nuntium coronare*, eſt ἔλλειψις τῆς διὰ προθέσεως, διὰ τὰ εὐαγγέλια, διὰ τὴν καλὴν κἀγαθὴν ἀγγελίαν, *defectus Praepoſitionis* Διὰ, ut ſit, *propter euangelia*, id eſt, *propter laetum et acceptum nuntium*, ut aiunt ueteres ad Comicum Critici [l]. Sic θύειν εὐαγγέλια, θύειν γάμους, per eandem ellipſin explicanda eſſe, a doctiſſimo KVSTERO [m] animaduertitur. Sic ὅρκια τέμνειν, apud HOMERVM, ἐλλειπτικῶς, pro τέμνειν, ſiue θύειν, διὰ τὰ ὅρκια, *uictimam, foederis ſanciendi cauſſa, caedere*, ut eximie doctus ERNESTI [n] ſcienter eruditeque obſeruat. Λευκὴν ἡμέραν θύειν, apud PHILOSTRATVM [o], eſt, *propter feſtum atque auſpicatum diem ſacrificare*, ut probe GODO-

l) SCHOL. *Ariſtoph. in Equit. v.* 644

m) KVSTER. *ad Ariſtoph. Plut. v.* 765

n) ERNEST. *de Vſu Gloſſar. Graec. Canon. I. extrem.*

o) PHILOSTR. *Vit. Apollon. IV.* 42. *p.* 182

GODOFREDVS OLEARIVS, ὁ ἑλληνικώτατος. Quod Romani dicunt, *Facere propter uiam*, id Graecis eſt θύειν τὰ ἐξιτήρια, τὰ ἐμβατήρια, ut continuo ſentias omiſſam Praepoſitionem, de quo genere ſacrificiorum, Herculi a peregrinantibus, ob felix iter, fieri ſolito, non ſolum ADRIANVS TVRNEBVS [p], et EVSTATHIVS SVARTIVS [q], uerum etiam LEOPARDVS [r], MEVRSIVS [s], FASOLDVS [t], ex SVIDA, FESTO, PLAVTO, MACROBIO, ſed emendato, diſſerunt. Eſt ex eo genere dicendi uerbum συκοφάντης, quod, etſi Graecis quemcunque calumniatorem deſignat, proprie tamen, ipſaque ſui origine, in eos dicitur, qui quondam Athenis, contra praeſcriptum Senatus, clanculum ficus alio exportantes obſeruarent in portis, et prehenſos ad magiſtratum deferrent [u]. Eſt enim φαίνειν, rariore ſignificatu, Forenſe et Iudiciale uocabulum, notans *crimina, quae latuerant, patefacere*, in lucemque iudiciorum proferre, unde φάσις, *delatio*, et ὁ φαίνων, *delator*, ut pluribus a POLLVCE [x] exponi-

p) TVRNEB. *Aduerſ. IX.* 4
q) SVART. *Analect. II.* 3
r) LEOPARD. *Emend. XV.* 19
s) MEVRS. *Exercit. Crit. P. II. cap.* 12
t) FASOLD. Ἱερολογ. *Graec. uet. Decad. X. ſeſt.* 2.
u) SCHOL. *Ariſtoph. in Plut.* u. 31
x) POLLVX *VIII.* 47. 48. 49

exponitur. Quo modo XENOPHONTI [y], Φαίνουσι μὲν οἱ Φύλαρχοι, *Tribuni deferunt*, apud Perſas, eos, qui legibus contraria commiſerant. Hinc συκοφάντης, quaſi ὁ φαίνων τὰ σῦκα. Praeciſius dictum, opinor, pro διὰ τὰ σῦκα φαίνων, *qui, propter ficus*, ex opido exportatos, *aliquem defert.* Omitto ἑστιᾶσαι νικητήρια, *epulum dare ob partam uictoriam*, δειπνεῖν ἐπινίκια, quod idem eſt, πράττειν νικητήρια, *ob uictoriam ſacrificare*, et conſimilia, quae diligenter CVPERVS [z] explicat. In quibus διὰ perinde deficit, atque in θέαν ἀγοράζειν, quod de ſpectatoribus ludorum pro certa pecunia locum obtinentibus, diximus, uſurpari. Hanc qui colligeret pecuniam, in eodem Numo ad fores theatri cernitur, ἀρχιτέκτων τοῦ θεάτρου VLPIANO dictus, ARISTOPHANI θεατροπώλης, THEOPHRASTO θεατρώνης, POLLVCI ὁ θέαν ἀπομισθῶν, *qui ſedes ſpectaculorum elocat*, quod, a praeſtantiſſimis Duumuiris, qui commentati in THEOPHRASTVM ſunt [a], anno-

y) XENOPH. Κύρου παιδ. *lib. I. p.* 7.

z) CVPER. *Obſeru. III.* 33

a) CASAVB. *l. l.* DVPORT. *l. l. p.* 383

annotatum, hic praetereo. Illud addo, eundem collectorem pecuniarum Latine *Lucarium* nominari. Probo ex Glossis antiquis, sed ad sanitatem reducendis. *Lucarius*, θωρακοποιός. Mendose scriptum. MEVRSIO [b] Graecum probatur, ad eamque mentem idem uult refingi *Luricarius*, a λόυρικον, pro λώρικον, Lorica. Quod nollem. Series literarum refragatur. Aderat etiam, in his ipsis reconditarum notionum commentariis, iam supra, post Lorica, *Loricarius*, θωρακοποιός. Ergo quid opus est repetitione, praesertim in alieno loco. Tu, si me audis, ocyus ita scribe. *Lucarius*, θεωρικοπώλης. Nam in Graeca uoce mendum residet. *Lucar*. θεωρικὸν, paullo ante ibidem. Θεωρικοπώλης autem, ad analogiam mentemque uocabuli Aristophanei, apud POLLVCEM, θεατροπώλης. Est ergo Lucarius, is, qui pecuniam, ludos spectandi caussa numerandam, quod dicitur lucar, accipit. Nihil certius, hac correctione

IV

At sentio, liberius excurrisse orationem in argumento mercedis, pro theatri loco soluendae,

b) MEVRS. *Glossar. Graecobarb. p. 312*

uendae, cuius certe indicium, uereor, ut alia praeterea ueteris orbis Numiſmata faciant. Reuertor ad Numum ſuperiorem. Et iam, numerata pecunia, ianuis per ſeruos, ut diximus, patefactis, ipſum theatrum intratur, loci occupantur. Vide ergo, in eodem Numiſmate Graeco, ſpectatorum multitudinem, ſiue, ut ex Ariſtophane POLLVX [c], aliquoties affert, συνθεάτριαν, ſedentem in circulo. Atque ISIDORO quidem HISPALENSI [d] populus in Theatris ſtans ludos contemplatur. Nempe loquitur ille de Romanis, penes quos ſpectatores ſtantes certaminibus interfuiſſe, accepimus, cum eiſdem poſteriore aetate ſedes pararentur [e]. Sed e Graecia eſt exemplo Pherenice, quae, cum filium ad Agonem adduxiſſet Olympicum, ἑστάναι ἅμα τοῖς ἀνδράσι, καὶ θεάσασθαι τοὺς ἀγωνιζομένους, *una cum uiris ſtetiſſe, ſpectauiſſeque certantes*, dicitur apud AESCHINEM [f]. Quo modo etiam DIOGENES, ad Iſthmium certamen profectus, uidet πολὺν ὄχλον, περιεστῶτας, καὶ θεωμένους, *multam turbam, circunſtantem, ac ſpectan-*

c) POLLVX *II. 56. IV. 121. VI. 158. X. 67*

d) ISIDOR. *Origg. XV. 2. p. 1193. XVIII. 42. p. 1279*

e) BVLENGER. *de Circo Rom. Ludiſq. Circenſſ. cap. 35*

f) AESCHIN. *in Veter. Graec. Epiſt. p. 38. edit. Cuiac.*

ſpectantem [g]. Neque tamen ualet hoc uniuerſe. AC THEOPHRASTVS [h] ſane theatro dat τοὺς καθημένους, *ſedentes*, ut ſpectatores deſignet. *Sedes ſpectaculorum*, apud VITRVVIVM [i]. POLLVX [k] etiam ἕδρας καὶ ἑδώλια, *ſedes et ſedilia*, ponit in partibus Graeci theatri, et PHILOSTRATO [l] ſpectatores in ludis Olympiis Arrichioni, pancratiaſtae, uictoriam gratulantur, ἀναπηδήσαντες τῶν θώκων, *exilientes e ſedibus*. Alia uidelicet in theatro ſedes ϛρατηγῶν, ſiue praetorum, alia ſenatorum, alia epheborum, imo etiam fortaſſe equitum, et peregrinorum, ut CASAVBONVS [m] obſeruat. Ac Numus noſter praeterea, in extremitate ſtadii, uel, ut loquitur ſcriptor Aethiopicorum amoeniſſimus [n], κατ᾽ ἄκρον τὸ ϛάδιον, Aedes oſtendit, reponendis Faſtis publicis Agoniſticis, cuius generis ΟΙΚΗΜΑ· ωC [o] ΤΑ· ΓΡΑΜ ΜΑΤΑ.

g) DIO CHRYSOST. *Orat. Iſthm. p.* 142

h) THEOPHR. *Charact. Eth. cap.* 11. *p.* 52. *edit. Needham.*

i) VITRVV. *de Architect. Praef. ad lib.* X

k) POLLVX *IV.* 121

l) PHILOSTRAT. *Icon. II.* 6. *p.* 818

m) CASAVB. *ad Theophr. p.* 51. 52

n) HELIODOR. *Aethiop. lib. IV, p.* 159

o) Ὡς τὰ γράμματα, Latine, *ad literas*. Non tamen eo ſenſu, quaſi ὡς loco πρὸς Attice ponatur, quod, profecto miror, potuiſſe, praeter DEVARIVM, *de Particul. Gr. L. cap.* 35. *p.* 364. et VIGERVM, *de Idiotiſm. Gr. Dict. cap.* 8. *p.* 397.

ΜΑΤΑ· ΑΠΟΤΙΘΕϹΘΑΙ· ΤΑ ΚΟΙΝΑ· in Farnesiano Marmore [p], Synodo Xysticae ab HADRIANO conceditur. ACLETARVM [q] CVRIAM dixeris, ex titulo

Clarissimis uiris, PERIZONIO, *Indice Gr. in Aelian. u.* Ὡς, VOLFIOque Hamburgensi, *ad Liban. Epist. 53. p. 149.* in mentem uenire, imo iam quondam non nullis, ut ex HESYCHIO u. ὡς liquet. Est enim in hoc dicendi genere defectus Praepositionis πρὸς, non animaduersus ille quidem ab his, quos modo dixi, Criticis, sed tamen ab optimae notae scriptoribus interdum expletus. Quod maxime LVCIANVM saepius fecisse, Doctiss. IENSIVS pluribus exemplis docet, *Lect. Lucian. I. 5. p. 46. 47.* Ὡς πρὸς τὰς ἐννοίας. dixit HERODIANVS, teste Cl. LEISNERO, ad LAMB. BOS *de Ellips. p. 348.* Sic AELIAN. *V. H. II. 3.* ὡς πρὸς ἀληθινόν. CALLIMACH. *H. Cerer. u. 134.* ὡς ποτὶ νηόν. Plura praetereo. Ceterum etiam ἐπὶ posse intelligi, ὁ ἑλληνικώτατος LAMB. BOS *Exercit. Philolog. c. 12. p. 60. 61.* ex ACTIBVS APOSTOLICIS, POLYBIO, AELIANO, demonstrat

p) GRVTER. *p. 315. n. 9.*

q) *Acletarum*, pro Athletarum, facili, et frequenter obuia, literarum C et T mutatione. Sic *Proceres*, ex πρότεροι. *Anclare*, hoc est, haurire, *Exanclare*, id est, exhaurire, apud ENNIVM, NONIVM, FESTVM, et in Glossis, pro antlare, exantlare, Gr. ἀντλεῖν, ἐξαντλεῖν. uid. VOSS. *Etymolog. Lat. p. 199.* MERVL. *ad Ennii Annal. I. p. 85.* SCALIG. et DACER. *ad Festum p. 28.* *Nuncius*, uulgo per C, rectius *Nuntius*, cum T, sicut ex Pisano marmore, ex VIRGILIO CARPENSI, antiquissimoque S. C. ante CICERONIS aetatem, exarato, H. NORISIVS docte probat, *Diss. IV. ad Cenotaph. Pis. p. 750. 751. Tom. III. Oper.* Etiam apud Graecos, quod miror, a CANTERO, *de rat. emend. Gr. Auctor. cap. 1.* praetermissum, Γ. quod Latinorum C respondet, cum T crebro committitur, et uersa uice. u. ὁ κριτικώτατος RICH. BENTLEIVS, *Epist. ad Millium. p. 89.* compar. FRANCI, hoc est, SALMASII, *Confutat. Animaduerss.* ANTON. CERCOETII, hoc est, DIONYS. PETAVII, *p. 198.* Scribitur

titulo prisci Lapidis [r], uel, cum PAVSANIA [s], Γυμνάσιον τὸ ἐν Ὀλυμπίαι, in quo τῶν νικησάντων Ὀλυμπιάσι τὰ ὀνόματα ἀναγράψαι, *nomina uictorum Olympiae ascribi*, consueuerint. ATHENAEVS Γραμματεῖον appellat, quoniam, hoc in tabulario, gymnasticorum, in albo Agonistico perscriptae, seruarentur uictoriae, ut PETRVS FABER [t], V. C. scienter explicat. Huic autem aedificio Numus noster, perinde, ut alius Heracleotarum, cuius iconem deinceps afferemus, Templi formam dat, ut singularem religionem cultumque diuinum, his in Ludicris, opinione Graecorum, situm,

in Fistula THEOCRITI σαέτγας, pro σαέττας, et in Ouo Simmiae Rhodii, ἄγγειον, pro ἄτριον, et in HESYCHIO ἰσγέον, pro ἰστέον, ut SALMASIVS corrigit, Not. ad Simmiae Rhod. Ouum, *p. 165.* In eodem HESYCHIO male ἀγχτᾶσθαι, ἄγεκτοι, ἀρτίγονος, γέγγει, pro ἀταρτᾶσθαι, ἄτεγκτοι, ἀρτίτονος, τέγγει, ut Cl. KVSTERVS legendum summonet, ad HESYCH. *Tom. I. p. 36. not. 20. edit. Albertin.* Sic ὀυϊγὸν, apud THEOPHRASTVM, mendose, pro ὀυϊτὸν, et alibi λύτγος, pro λύττος, ut SALMASIVS refingit, *Exercitt. Plin. p. 498.* applaudente BOCHARTO, *de Colon. Phoenic. I. 42. p. 667.* Male etiam ὀυαργουγοὺμ, pro ὀυαργουτοὺμ, quod *Psyllium* Afris significat, item Ἀφυγαίων, et Ἀφυγαίους, apud PLVTARCHVM, pro Ἀφυταίων, et Ἀφυταίους, ex eiusdem BOCHARTI, *l. l. II. 15. p. 759.* emendatione

r) FALCONER. *Inscript. Athlet. V. p. 115*

s) PAVSAN. *II. Eliac. c. 6. p. 466*

t) FABER. *Agonist. III. 27. p. 347*

perſpicias. Qua ex re idem illud domicilium, in ueteri Inſcriptione, quam ſupra produximus, τὸ Τέμενος, *Delubrum*, ſalutatur. Hic praeterea gradus aliquot, quorum numerum non diſtincte ſatis Numus exprimit, cernuntur, quibus aſcenſus fiat in domum, quae ad Templi ſpeciem eſt aedificata. Ita nimirum Fana extruendi, et Graecorum, et Romanorum, fuit conſuetudo. In hanc mentem paullo ante explicauimus *gradus Caſtoris*, apud CICERONEM. *Templi gradus* dixit OVIDIVS [u]. Cuiuſmodi gradus altiores duos habet fanum Iunonis Argiuae, in Toreumate Begeriano [x]. Tres templum tetraſtylon, neſcio, cuius, in Domitiani Numo Saeculari, ab GVILIELMO CHOULIO [y], atque aliis, excuſo, quem rarioribus annumerandum cenſet VAILLANT [z]. Quatuor aedes Iunonis Samiae, in Numo GORDIANI tertii [a]. Quinque delubrum Dianae Epheſiae, in CARACALLAE Numiſmate [b], totidemque Herois Antinoi, huius in Numo [c], et Mineruae Atticae, in Tabula priſci operis, quam ex Sponiano itinere affert IACOBVS

PERI-

u) OVID. *Metam. I.* 275

x) BEGER. *Spicileg. Antiquit. Sect. IV.* p. 148

y) CHOUL *de Relig. uet. Roman.* p. 233

z) VAILLANT *Numiſm. Imperatt. Vol. I.* p. 40. *edit. nouiſſ.*

a) SEGVIN. *Select. Numiſm. cap.* 4. p. 174

b) MORELL. *Specim. rei Numar. Tab. II.* 2

c) CVPER. *Numiſm. antiq. explic.* p. 243

PERIZONIVS [d]. Sedet his in gradibus Brabeuta, capite radiato, ueſte tenui, ſiue palliolo, in tergum reiecto, tanquam Solem ipſum, ſeu, qui idem putatur, Apollinem, aſpicias, quem uidetur hoc quidem habitu repraeſentare

V

Cetera nudus eſt. Cuius rei cauſſam ſi anquiras, ſic habeto. Abeſt omnis mulier a Ludorum Olympicorum ſolemnibus, non quidem ſponte, ſicuti muſcae Piſanae, tempore huius quinquennalis celebritatis, ultro in alium auolare locum dicuntur, ſed τῆς ἀγωνίας νόμῳ, *lege certaminis*, ut loquitur AELIANVS [e], qui et alio libro [f], idem argumentum tractans, τὸν εἴργοντα νόμον τῆς θέας τὰς γυναῖκας, *legem, quae mulieribus interdicebat ſpectaculo*, memorat. Hinc *excluſae matres* filiorum, quos Piſam in arenam miſerunt, STATIO [g] uſurpatae. Erat enim, ut PAVSANIAS [h] memoriae prodidit, in uia, quae ducit Olympiam, cis Alpheum fluuium, mons excelſus, et praeruptus, cui nomen Typaeus. Hinc, Eleorum lege cautum erat, praecipitari mulieres, quas

 Olym-

d) PERIZON. *ad Aelian. p. 248*

e) AELIAN. *Hiſt. Anim. V. 17*

f) AELIAN. *Var. Hiſt. X. 1*

g) STAT. *Theb. I. 424*

h) PAVSAN. *I. Eliac. cap. 6. extr.*

Olympia ſpectatum ueniſſe, uel omnino, diebus uetitis, Alpheum traieciſſe, cognitum eſſet. At Pherenice, Diagorae filia, quam alii, duas ſorores confundentes, ut PERIZONIVS iudicat, Callipateram uocant, cum Piſirodum, filium, ſiue, ut VALERIVS MAXIMVS[i] eum dicit, Euclea, eumque adhuc puerum, ad Olympium deduxiſſet certamen, ipſa, Gymnaſtarum habitu, ſpectaculum introiit, in quo filius poſtea uictor extitit. Quo facto, Hellanodicae cognitam uxorem in iudicium uocarunt. Quae, cum cauſſam apud hos dixiſſet, ſeque patre Olympionica genitam, trium Olympionicarum ſororem, unius etiam, non duorum, ut ab ERASMO SCHMIDIO[k] non recte narratur, matrem eſſe, demonſtraſſet, iudicum aequitate abſoluta, prima omnium tantam impune ſpectauit ſolemnitatem. Id quod, praeter PAVSANIAM, AELIANVM, VALERIVM MAXIMVM, quos modo nominauimus, AESCHINES[l], et, ex GORGONE, Auctor incertus Argumenti Odae ſeptimae Pindaricae in Olympionicas, ſcriptum reliquerunt, PLINIVS[m] quoque attingit, cum eandem Pherenicen facit filiam, et ſororem, et matrem,

i) VALER. MAX. *VIII. 15. extern. 4*

k) SCHMID. *ad Pindar. Olymp. 2. p. 179*

l) AESCHIN. *in Epiſtol. Vet. Graec. p. 38. edit. Cuiac.*

m) PLIN. *Hiſt. Nat. VII. 41*

trem, Olympiae uictorum. Ex quo iidem, quorum ſententiis mulier abſoluta fuerat, *ἐποίησαν νόμον ἐς τὸ ἔπειτα ἐπὶ τοῖς* ΓΥΜΝΑΣΤΑΙΣ, ΓΥΜΝΟΥΣ *σφᾶς ἐς τὸν ἀγῶνα ἐσέρχεσθαι*, *legem fecerunt in futurum de GYMNASTIS, ut et illi NUDI in certamen progrederentur*, ut loquitur idem PAVSANIAS. Qui locus egregius eſt, atque intelligentiae huius Numiſmatis prodeſt plurimum, in quo nudus, ut diximus, ſedet Aſiarcha. Idem tamen hic ueſtem a tergo habet pendulam, ut, ſi apud LVCIANVM, XIPHILINVM, CHRYSOSTOMVM, teſtes a BVLENGERO [n] citatos, quibus recte addas ETYMOLOGICI M. artificem [o], AMMIANVM MARCELLINVM [p], atque TRANQVILLVM [q], Hellanodicas, purpura ueſtiri ſolitos, inuenias, id non magis de more priſcae aetatis, quam poſterioris, iam aſcita nuditate, Numi eiuſdem documento, poſſis accipere. Sedet autem, tanquam de praemio iudicaturus. Nam ſedendo quondam dicitur ius, non modo apud Hebraeos, ſed etiam apud Aegyptios, Graecos, Romanos, horumque colonos Carthaginien-

 ginien-

n) BVLENGER. *de Circo Rom. Ludiſq. Circenſ. cap.* 43

o) ETYMOLOG. M. α. Ἑλλανοδίκαι.

p) AMMIAN. *XXI. 1. p.* 286. *edit. Gronou.*

q) TRANQV. *Domit. cap.* 4.

ginienses, et alios fortasse populos. Tales autem certaminum diribitores atque arbitri. Hinc nomen ortum Hellanodicarum, ὅτι παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ἐδίκαζον τοῖς τε ἀθληταῖς, καὶ τοῖς ἄλλοις ἀγωνισταῖς, *quoniam apud Graecos iudicabant de athletis, ceterisque certatoribus*, explicante auctore ETYMOLOGICI M. HESYCHIVS. Ἑλληνοδίκαι· οἱ κριταί. TZETZES [r] eosdem ita definit. Οἱ τοῦ ἀγῶνος τούτου τὰς κρίσεις ἐφοροῦντες. *Qui huius certaminis*, loquitur de Olympico, *praesunt iudiciis.* Iidem Ἀγωνοδίκαι, apud HESYCHIVM, eodem sensu. Κριταὶ uocantur in Scholiis ad SYRACVSIVM VATEM [s], quorum collector est, non auctor, ZACHARIAS CALLIERGVS. Ἆθλον δὲ αὐτοῖς ἡ σύριγξ ἐπέκειτο, ἣν ἐπιδίδωσιν ὁ κριτὴς τῷ Δάφνιδι, ὡς νικήσαντι. *Erat autem praemium certaminis fistula, eis proposita, quam Iudex Daphnidi, utpote uictori, impertiuit.* Atque ARISTOPHANIS uetus Enarrator [t], Αἰσυμνήτας explicat τοὺς κριτὰς τοῦ ἀγῶνος. Pari modo Iudices, apud CICERO-

CERO-

r) TZETZ. *Chiliad. XII. u.* 368

s) SCHOL. *Theocrit. Bucolic.* VIII. 84

t) SCHOL. *Aristoph. in Pac. u.* 733

CERONEM [u]. *Corona tibi, et Iudices, defuerunt.* Sic *Iudices literarii*, quos PTOLEMAEVS, cum ludos Apollini Musisque dedicasset, et, *quem ad modum Athletarum*, sic communium scriptorum, *uictoribus* praemia et honores constituisset, dicitur legisse, auctore VITRVVIO [x]. Ἱερὰ κρίσις, *sanctum iudicium*, PINDARO sunt ipsi Hellanodicae. Quidni ergo merito sedeat, in Numismate CARACALLI, Praefectus Certaminum Communis Asiae, more institutoque maiorum. Haud sane contrarius est POLLVX [y], quo quidem auctore, τοῖς γυμνικοῖς ἐφεστᾶσι βραβευταὶ, *gymnicis astant praemiorum Diribitores*, ut GVALTHERVS interpretatur. Male uero. Praeterquam enim, quod Graeca uox commode, *praeesse, moderari*, reddi possit, eandem accuratius hoc loco *assidere*, quam astare, interpretabimur, haud repugnante usu uocabuli. Vt enim PAVSANIAS [z] dixit, ὡς ΕΦΕΣΤΗΚΟΙΕΝ τρεῖς ἐπὶ τοῦ δρόμου τῷ πέρατι Ἑλλανοδίκαι, ubi recte interpres, *cum ad curriculi metam Aediles tres ASSEDISSENT*, sic idem Geographus [a], alio loco, mentionem

 facit

u) CIC. *de Nat. Deor. II.* 1

x) VITRVV. *de Architect. Praef. ad lib. VII. p.* 123

y) POLLVX *III.* 145

z) PAVSAN. *II. Eliac. c.* 3. *p.* 457

a) PAVSAN. *l.l. cap.* 20. *p.* 505

facit τοῦ ϛαδίου, καθ' ὅπου οἱ Ἑλλανοδίκαι ΚΑΘΕΖΟΝΤΑΙ, *stadii, in quo Hellanodicae CONSIDENT.* Idem ergo ἐφεϛᾶναι, quod καθίζειν. Hinc apud DIONEM CHRYSOSTOMVM [b], καθίζειν δικαϛὰς, τοὺς βραβεύοντας τῶι Θεῶι τὸν ἀγῶνα, *iudices sedere facere*, id est, rite constituere, *qui in Iouis Olympii certamine praemia distribuant.* Non aliter fere HESYCHIVS. Ἑλληνοδίκαι. οἱ κριταὶ, οἱ καθήμενοι εἰς τοὺς ἀγῶνας. *Hellanodicae. iudices, sedentes in agonibus.* Εἰς τοὺς ἀγῶνας, pro ἐν τοῖς ἀγῶσι, sicut Ἐτυμολογικὸν τὸ Μέγα [c] de iisdem. Ἐκαθέζοντο ἐν τῶι ἀγῶνι, πορφυρίδα περιβεβλημένοι. *Sedebant in certamine, purpura induti.* Nempe εἰς, pro ἐν, non solum Poëtis, ut male uetus explanator Sophocleus [d], sed etiam πεζογράφοις, seu prosae scriptoribus, maximeque Atticis, usitatum. POLYBIVS, εἰς Θετταλίαν ἔτ' ὤν, pro ἐν Θετταλίαι. THVCYDIDES, καθε-

b) DIO CHRYSOST. *Orat. Olymp. p.* 208

c) ETYMOLOG. M. *v.* Ἑλλανοδίκαι.

d) SCHOL. *Sophocl. in Aiac. v.* 80.

καθεζόμενοι ἐς τὸ Ἡραῖον, pro ἐν τῶι Ἡραίωι. AELIANVS[e], εἰς τὸν σαθμὸν ἐγκρύπτειν, pro ἐν τῶι σαθμῶι. Ipſe XENOPHON, Attici flos nitoris, cuius oratio nunquam fluit lutulenta, nunc[f], εἰς τὰς ἑαυτῶν χώρας ἕκασοι τούτων πάρεισιν, *ſinguli in ſuis quiſque locis adſunt*, nunc[g], παρῆν εἰς τὸ αὐτὸ χωρίον, *aderat in eodem loco.* Ac nihil frequentius in Inſtrumento Nouo, ut κατῴκησεν εἰς πόλιν, *habitauit in urbe.* ἦν κηρύσσων εἰς ὅλην τὴν Γαλιλαίαν, *publice docebat in uniuerſa Galilaea·* εἰς οἶκόν ἐσι, *domi eſt.* ὁ εἰς τὸν ἀγρὸν ὢν, *qui eſt in agro.* τοῖς λόγοις μοῦ, οἵτινες πληρωθήσονται εἰς τὸν καιρὸν αὐτῶν, *uerbis meis, quae implebuntur ſuo tempore.* εἰς τὴν κοίτην εἰσὶν, *in cubili ſunt.* εἰς ἣν ἑσήκατε, *in qua ſtatis*, et conſimilia. Quod imitari, ex Latinis Scriptoribus, non modo PLAVTVS ſolet, uel, ut plures taceam, FRONTINVS, cuius haec ſunt, *Quod in erogationem ipſorum maior pars eorum contineatur*, ſicut in Scriptis

e) AELIAN. *Var. Hiſt.* IX. 30

f) XENOPH. Κύρου παιδ. *lib.* I. *p.* 4.

g) XENOPH. Κύρου παιδ. *lib.* VII. *p.* 153.

omnibus reperit probatque uir doctus, et acutum uidens, IOANNES FRANCISCVS CORRADINVS[b], uerum etiam IVLIVS CAESAR, diligens in primis ac felix imitator POLYBII, *perstare in sententiam*, dixit, et, *in publicum deponere*, ipseque TVLLIVS, Xenophonteae suauitatis non minus aemulus, quam laudator, *in praedonum fuisse potestatem*, item, *regnum totum esse in hostium potestatem*, et alia denique apud eundem, ab excellenti sermonis Latini Statore acerrimoque uindice, cuius nos disciplina recte gloriamur, et, ut oportet, gloriabimur, quoad uiuemus, BERGERO[i], notata.

VI

Enim uero, ut ad Hellanodicas reuertar, unde paullisper digressus sum, nominat POLLVX[k], in descriptione Theatri eiusque partium, προεδρίαν, *sedem primariam*, quae potissimum sit δικαστῶν, *iudicum*, hoc est, Brabeutarum. Haec est illa καθέδρα, quam Agonothetis Olympicis dat PAVSANIAS[l]. *Et locus quidem, in quo sedebant hi iudices, uocatur* τὸ πλέθριον. Sic CAROLVS PASCHALIVS[m], uir exquisite doctus, quem

b) CORRADIN. *Loca Desperatiss. Sex. Iul. Frontini de Aquaeduct. p. 16*

i) BERGER. *de Natur. Pulchrit. Orat. p. 407. 408*

k) POLLVX *IV. 121*

l) PAVSAN. *II. Eliac. c. 20. p. 502*

m) PASCHAL. *de Coron VI. 10. p. 369*

quem tamen, CVPERVS [n] ſummonet, late, ſed non accurate, ſcripſiſſe de Coronis, ut cum iudicio fere ubique legendus ſit, ait ille quidem, ſed ſine ulla, quod miror, ueterum auctoritate. Habuit omnino in memoria locum PAVSANIAE [o], de Gymnaſio Olympico. Ἔστι δὲ ἐν τῶι γυμνασίωι καλούμενον πλέθριον. Ἐν δὲ τῶι αὐτῶι συμβάλλουσιν οἱ Ἑλλανοδίκαι τοὺς καθ' ἡλικίαν, ἢ καὶ αὐτῶι διαφέροντας τῶι ἐπιτηδεύματι. συμβάλλουσι δὲ ἐπὶ πάλῃ. *Eſt etiam locus in gymnaſio, qui Plethrium uocatur. In hoc athletas, aetate, uel exercitationum genere, nobiliores, committunt Hellanodicae, idque luctatione.* Haec ſententia uerborum, quam non aſſecutus eſt AMASAEVS, ultima etiam omiſit. Nihil hic tamen de ſeſſione iudicum. Ceterum haec uox Graecis Lexicis reddenda, unde male exulat. Eſt nihil aliud πλέθριον, me quidem iudice, quam πλέθρον, ſeu πέλεθρον, de quo eximie diſſerit ex Graecis ſcriptoribus ὁ πάνυ PERIZONIVS [p], et oſtendit, fuiſſe menſuram ſpatii, in dimetiendis agris maxime uſitatam, pedum centum, ſeu cubitorum ſex

n) CVPER. *Conſecrat. Homer.* p. 511 p. 218

o) PAVSAN. II. *Eliac.* c. 23.

p) PERIZON. *ad Aelian.* p. 162. 163

ſex et ſexaginta. Πλεθριαῖος certe, quod XENOPHON, et SVIDAS, apud STEPHANVM [q] habent, aptius, ſuadente analogia, a πλέθριον, dixeris, formatum, quam, ut illic uideas, a πλέθρον, unde potius πλεθραῖος dicendum fuiſſet. Sed ſatis de hoc. Videas Herculem, Ludicro praeſidentem, haud procul a Templo, de quo ante eſt expoſitum, aſtante Athleta, cum palma uictrice, in praeclaro Numo Heracleotarum Graeco, cuius exemplum hic apponere, non ab re fore, cenſeo



LAVRENTIO BEGERO [r], aeris antiqui notitia clariſſimo, qui Numum edit ex FABRETTO, Hercules adeſt, iſque *Circenſibus* Ludis praefectus. Quidni tamen, non minima

q) STEPH. *Append. ad Theſ. L. Graec. p. 1674*

r) BEGER. *Hercul. Ethnic. Tab. XXII. 3.*

nima fortaſſe probabilitate, Olympicum certamen effingi, putemus, cuius inuentorem Herculem praedicari, ſupra audiuimus. Ita ſane cerneres in Numiſmate Heracleam, urbem agri Piſaei, de qua PAVSANIAS[s], Ἀπέχει δὲ ὡς πεντήκοντα Ὀλυμπίας ςαδίους κώμη τε Ἠλείων, Ἡράκλεια. *Abeſt Olympia ſtadiis circiter quinquaginta uicus Eleorum, Heraclea.* Quanquam κώμην dicit Geographus, STRABO[t] tamen in octo ciuitatibus Piſatis regionis eam numerat. Ἐγγὺς δὲ τῆς Σαλμώνης Ἡράκλεια, καὶ αὔτη μία τῶν ὀκτὼ, διέχουσα περὶ τεσσαράκοντα ςαδίους τῆς Ὀλυμπίας. *Prope Salmonem Heraclea eſt, ipſa quoque una de octo illis urbibus, quae ſtadiis circiter quadraginta ab urbe Olympia diſiungitur.* Ac STEPHANO quoque, in tribus et uiginti urbibus huius nominis, decimo octauo ponitur loco Ἡράκλεια Πισσαϊκή. Vbi, ſi qua corrigendi neceſſitas, mallem ego Πισαίη, quam, cum HOLSTENIO, Πισιδική, uel Πισσιδική, quaſi a Piſidia duceretur uocabulum. Poteſt tamen, quod uerius puto, a Πίσα, praeter

Πι-

s) PAVSAN. *II. Eliac. c. 22. p. 510* t) STRAB. *lib. VIII. p. 35*[illegible]

Πισαῖος, Πισαϊκὸς perinde formatum esse, ut, a Σμύρνα, praeter Σμυρναῖος, Σμυρναϊκὸς, apud eundem Vrbium descriptorem, et LVCIANVM [u] atque ARISTIDEM [x] Heracleam ergo, urbem agri Elei, sicut uidetur, ob deductas Colonias, Metropolin Numus appellat. Sic enim titulus, Dorica Dialecto exaratus, legendus ac distinguendus. ΗΡΑΚΛΕΩΤΑΝ ΜΑΤΡΟΣ ΑΠΟΙΚΩΝ ΠΟΛΙΩΝ. *Heracleotarum. Matris Coloniarum.* Πόλις ἄποικος, Colonia, quae aliter, atque usitatius, ἀποικία. ΜΑΤΡΟΣ autem, hoc est, ΜΗΤΡΟΣ. Vbi nota Sigma quadrum Ϲ, quod quidem in uetustis, et ante rem Romanam certo incisis, Tabulis, haud obseruat eruditissimus Palaeographiae Graecae conditor, reperit tamen in Numis saeculi Augusti, praeterea in Ancyranis Inscriptionibus, quas affert, non rarissime [y]. Ac IOSEPHVS SCALIGER [z], praeter Romanum Lapidem Aedis D. Nicolai de Calcaria, in quo eadem forma Sigmatis saepe cernatur,

u) LVCIAN. *in Imagin. p.* 3

x) ARISTID. Σμυρναϊκὸς πολιτικός. it. Προσφωνητικὸς Σμυρναϊκός

y) MONTFAVC. *Palaeogr. Gr. II. 6. p. 153. 154. 158. num. IV. 164. num. VIII*

z) SCALIG. *Animadu. Euseb. p.* 127

tur, affert ex Numo Imperatoris PHILIPPI Iunioris, ΜΑΡ· ΙΟΥΛΙΟϹ· ΦΙ ΛΙΠΠΟϹ. ΚΑΙϹΑΡ· ΜΕϹΑΜ ΒΡΙΑΝΩΝ. EZECHIELI autem SPANHEMIO [a] Sigma, ita quadratum, in Caesarianis, tertii ferme a CHRISTO saeculi, Numis frequentius annotatur, etiam in prioribus interdum, ut in aliquot ANTONINORVM Numismatis, tum in AVGVSTI quodam aereo, a Peparethiis percusso, cum titulo ϹΕΒΑϹ, hoc est, ΣΕΒΑΣΤΟΣ, et in alio eiusdem Imperatoris, cum epigraphe ϹΕΒΑϹΤΟϹ ΜΥΛΑϹΕΩΝ. *Augustus. Mylasensium.* Memorat, dicto loco, idem SPANHEMIVS Numum Ascalonitarum, sub NERONE cusum, in quo ab una parte ϹΕΒΑϹΤΟϹ, ab altera ΑϹΚΑΛΩ, et alium urbis eiusdem, ΑϹΚΑΛΩ. Addit incertum Numum Gazae Regiae Francogallorum, in quo ϹΙΠΥΛΗΝΗ *Sipylene.* In praeclaro Numo Herodis Antipae, apud NORISIVM [b], haec habet aduersa pars. ΓΑΙΩ ΚΑΙϹΑ ΓΕΡΜ ϹΕΒ *Caio Caesari Germa-*

a) SPANHEM. *de Praest. Numism. Tom. I. p. 102. 103*

b) NORIS. *de Num. Herod. Antip. p. 646. Tom. II. Oper.*

Germanico Augusto. in auersa. ΗΡΩΔΗϹ ΤΕΤΡΑΡΧΗϹ L ΜΓ *Herodes Tetrarcha Anno quadragesimo tertio.* Sunt et alia prisci aeui monimenta, Sigmatis, persimiliter in quadrum redacti, figura conspicua, quod eximie animaduertit, mecumque liberalissime communicauit, uir omnis liberalis scientiae, maxime ex aere ueteri percipiendae, cultu florentissimus, ac multa mihi coniunctus humanitate atque beneuolentia, IVLIVS CAROLVS SCHLAEGERVS. Loquuntur ita literae eius, doctrinae pariter ac studii plenae, quos nuper a Politissimo Viro accepimus. *Diligentissimus* FRANC. HAYMIVS [c] *primus, quantum noui, publici iuris fecit urbis Orthosiae numum, inscriptum* ΟΡΘΩϹΙΕΩΝ. *nec non pag. 147. alium Saxiae, ciuitatis Cretensis, in quo* ϹΑΞΙΩΝ. *Cum aereo hoc conspirat eiusdem ciuitatis marmoreum monumentum apud Edm. Chishull in antiquitatibus Asiaticis, aeram Christianam antecedentibus pag. 114. obuium, similiter exhibens* ϹΑΞΙΩΝ. - - - *Denique recordor, me olim contemplatum esse ectypum numi Traiani Decii, propterea haud negligendi, quoniam in antica* ΤΡΑΙΑΝΟϹ *in postica autem*

c) *In Thesaur. Britann. T. II. pag. 134*

autem parte ΣΑΜΙΩΝ *legit, adeoque et circularem, et quadratam, literae sibilantis figuram sistit. Quo uero loco eum deprehenderim, non succurrit memoriae. Fortassis eum habet Hauercampus in diss. de literarum graecarum uaria scriptura et forma, quam tamen ad manus non habeo.* Haec ille, Gazae Fridericianae Praefectus, et Director Bibliothecae Fridensteinensis, nunquam satis laudandus. Haud dissimili ergo modo ΜΑΤΡΟΣ in Numo Heracleotarum, pro Μητρὸς, quod idem ualet, ac Μητροπόλεος. Pulchre, et utriusque linguae scriptoribus usitate, Graecis potissimum, sed, in Numis, haud scio, an rarissime. *Sic* nempe *se habet Metropolis ad coloniam, ut Mater ad filiam*, ut ait BVDAEVS [d]. Tyrus, μάτηρ Φοινίκων, in MELEAGRI Epigrammate ἀνεκδότῳ [e], et Sidon, μητὴρ Φοινίκων, apud ACHILLEM TATIVM [f]. Hoc est, Metropolis. Ambae nimirum ciuitates inter se dimicarunt de principatu, ut, teste STRABONE [g], difficile iudicari posset, ὁποτέραν δ᾽ ἂν τις εἴποι μητρόπολιν Φοινίκων, *utram dixeris Metropolin*

 Phoe-

d) BVDAEI *Annot. in Pandect. p.* 320

e) SPANHEM. *de Praest. Num. Tom. I. p.* 345

f) ACH. TAT. Ἐρωτ. *lib. I. in princip*

g) STRAB. *Geograph. lib. XVI. p.* 520

Phoenicum. Vnde ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ, in Tyriorum Numiſmatis, apud L. HOLSTENIVM [h], H. NORISIVM [i], compluresque alios, itemque, in Sidoniorum, quae HARDVINVS [k] deſcripſit, METR. SID. et ΜΗΤΡΟ· ΣΙΔΩΝ· Opuntem, *Λοκρῶν ματέρα* uocat PINDARVS [l], hoc eſt, *μητρόπολιν Λοκρῶν*, ut Critici ueteres ad hunc locum. Romam dixit DIONYSIVS PERIEGETES [m] *μητέρα πασάων πολίων*, tanquam communem Metropolin, ut ampliſſimae multitudinis Coloniarum, in omnem orbem Roma deductarum, indicium fieret, quam LIPSIVS [n] exponit. Apud L. ANNAEVM FLORVM [o], Q. Metellus, tum alias urbes Cretenſium, depopulatur, tum, *ut Graeci dicere ſolent, urbium matrem, Cydoniam.* AMMIANO MARCELLINO [p] *urbium mater*, Seleucia. *Matrem urbium* etiam SOLINVS et MARTIANVS uſurpant [q], eoque nomine nihil aliud, quam Metropolin, intelligunt. Hoc loquendi more, Graecis in

h) HOLSTEN. *ad Steph. p.* 332

i) NORIS. *Diſſ. IV. de Epoch. Syromaced. p.* 418. *Tom. II. Oper*

k) HARDVIN. *Num. Popp. et Vrbb. p.* 454

l) PINDAR. *Olymp.* Θ. *ἀντιστρ. α. u.* 15. 16

m) DIONYS. Περιηγ. *u.* 356

n) LIPS. *de Magnitud. Rom.* I. 6

o) FLOR. III. 7

p) AMMIAN. *XIV.* 2. *p.* 15. *edit. Gronou*

q) SALMAS. *Exercit. Plin. p.* 626

in primis familiari, PAVLLVS[r] ipſe, literis ad Gallograecos datis, elegantiſſime utitur, cui myſtica illa Hieroſolyma, id eſt, Eccleſia CHRISTI, quod ingentem numerum credentium, quaſi deductis coloniis, quoquouerſum emittat, μητὴρ πάντων uſurpatur, ſicut terreſtrem Hieroſolymam, τὴν τῶν Ἰουδαίων μητρόπολιν, dicit STRABO[s]. Sed iam mitto Numum, haud ſane uulgatiſſimum, in quo Hercules, ſicut oſtendimus, praemium Olympionicae adiudicat

VII

Sedet autem, in propoſito Laodicenſium Graeco Numiſmate, Brabeuta, qui eſt ipſe PIGRES Aſiarcha, dextramque protendit, qua Coronam tenet, capiti Victoris imponendam. Aſtant enim, huius a ſiniſtra, Victor Athleta, nudus omnino, et, ut ille uterque, quem ſuperiores duo Numi ſignabant, ne ſubligaculo quidem tectus circa uelanda. Id quod aliter factum, ſcimus, eſſe priſcis temporibus. Etenim mos Athletarum tantam habuit, ueteri diſciplina Graeciae, uerecundiam, ut in arenam ſine ſubligaculo prodiret nemo. Id παλαιὸν ἔθος τῶν ἀθλητῶν, *antiquum morem Athletarum*, dicit PAVSA-

r) GALAT. *IV.* 26 s) STRAB. *Geograph. lib. XVI. p.* 522

NIAS [t]. Troicorum certe memoriam temporum replicanti Teucer Aiaxque statim occurrunt, iique, cursus certamen inituri,

Ἀμφὶ δ' ἄρα ζώσαντο θοῶς περιμήδεα χερσὶν
Φάρεα, πάντα δ' ἔνερθεν, ἅπερ θέμις, ἐκρύψαντο,
Αἰδόμενοι,

Mox religant manibus circum inguina
Feminalia, et subter uentrem partes, quas tegi decet, uelant
Pudentes,

ut cecinit QVINTVS CALABER [u]. CHRYSOSTOMVS, PETRO FABIO [x] si obtemperemus, dicit illud ἱμάτιον, ἐλαίῳ διάβροχον, quod, licet, interpretere, *Velamentum, oleo madefactum.* Ἱμάτιον enim, *Velamen*, in Glossis PHILOXENI. Quo modo etiam EVSTATHIVS, quem idem solertissimus excussor rei Agonisticae, neque ita multo post, commemorat, Pugiles, depositis uestibus, nudos ἱματίῳ ζώννυσθαι, *campestri cingi*, probat, consueuisse. At uero

t) PAVSAN. *Attic. c. 44. princip*

u) Q. CALAB. Παραλειπομ. *IV. 188. sqq*

x) FABER. *Agonist. II. 2*

uero haec consuetudo, quam pudor uerecundiaque non minimum commendabat, sub ORSIPPO Megarensi desita est, idque septingentis et uiginti annis ante Partum Virginis, uel, ut Graecorum ueterum computandi ratio fert, HIPPONE ARCHONTE, anno primo Olympiadis XV, non XXXII, ut alii arbitrantur. Hic enim ORSIPPVS, stadii cursor, cum, inter currendum cingulum decidere, passus fuisset, ut expeditius curreret, praemiumque cepisset, idem exemplum postea imitati sunt ceteri Athletae, uti, haud praecincti, cursum inirent. De quo more, ex THVCYDIDE, eiusque interprete Graeco, ex PAVSANIA, EVSTATHIO, breuium ad HOMERVM Scholiorum effectore, ETYMOLOGICO M. Descriptore Olympiadum EVSEBIANO, magnus ille Graiorum rituum mystagogus, MEVRSIVS [y], explicatius tradit. Narrat idem, sed dissimulanter, ISIDORVS [z], de Ludo Gymnico disserens. *Antea enim in locis, certantes, cincti erant, ne nudarentur, post, relaxato cingulo, repente prostratus et exanimatus est quidam cursor. Qua re, ex consilii decreto, tunc Archon Hippomenes, ut nudi deinceps omnes exercitarentur, permisit.* Κατ' εὐφημισμὸν

 dixit,

y) MEVRS. de Archont. Athen. I. 6 z) ISIDOR. Origg. XVIII 17

dixit, *cincti in locis*, hoc eſt, περὶ τὰ αἰδοῖα. Hoc enim ſunt *loci* apud Latinos, nempe genitalia, plerumque mulierum, ut VARRONI, PLINIO, et aliis, interdum etiam uirorum, ut ex LVCRETIO probant uiri docti, cui nunc addendus ISIDORVS. Neque minus apud DIOSCORIDEM atque ARISTOTELEM, τόπος et τόποι, hoc ſenſu, teſte H. STEPHANO[a]. Quo referas forte, ex fragmento Orphico, τὸν οὐ πρέποντα τόπον, quo Baubus pudenda indicantur, ſiue, interprete ARNOBIO, *pars illa corporis, per quam ſecus femineum et ſubolem prodere, et nomen ſolet acquirere generi.* Sic enim Graeca affert PETRVS CASTELLANVS[b], cum CLEMENS ALEXANDRINVS, ex eoque EVSEBIVS, SALMASIVS, LEOPARDVS, CANTERVS, STEPHANVS, ESCHENBACHIVS, alii, τύπον ſcribant, de quo, uolente DEO, ad ipſa Fragmenta *Orphei*. Τόπος certe et τύπος, non rariſſimo ſcriptionis errore, commiſceri, cum aliunde conſtat, tum a STEPHANO[c] celeberrimoque ALBERTI[d] comprobatum eſt. Videas autem, in monimentis

a) STEPH. *Theſ. L. Gr. Tom.* III. *p.* 1592

b) CASTELLAN. Ἑορτολογ. *p* 662. *Tom.* VII. *Gronov.*

c) STEPH. *Schediaſm. Var.* II. 14. *p.* 40. 41

d) ALBERTI *Pericul. Crit.* *cap.* 12. *p.* 44. 45

mentis plurium generum exquiſitis, quae ſpirantem adhuc antiquitatem Graecam oſtendunt, nudo quidem corpore certantes, ſed tamen eiuſmodi διαζώματι περὶ τὰ αἰδοῖα fruſtra plerumque requiras. At Icuncula priſcae artis non inelegans, quae Gladiatorem, aut Athletam, repraeſentat, nudum omnino, ſed faſciola circa corporis partes inferiores cinctum, uiſitur Cantabrigiae, in MIDDLETONIANO Muſeo [e], ex quo nuper edita eſt. Quae quidem pictura, ut mihi uidetur, Romanam prodit fabricam. Sunt enim, hac in parte, Graecis pudentiores Romani, ſuoſque Athletas, tectis pudendis, in publicum proferunt, quod etiam aetate ſua, ſub AVGVSTO, moris in Latio fuiſſe, DIONYSIVS HALICARNASSENSIS [f] memoriae tradidit. Quo modo etiam capiendus eſt ISIDORVS, quem ſupra adduximus, qui, cum de Graecis exponat, mox conuerſus ad Romanos, iuuenes, probat, *nudos* exerceri in campo, *ubi ſola tantum pudenda operiantur.* Atque haec quidem nuditas, in aere ueteri toties conſpicienda, poteſt argumentum dare iudicandi, quo tandem habitu noſter ille Παράδοξος, cui informando, producen-

 ducen-

e) *Antiquitates Middletonianae Tab. XIV. 2. Londini 1745*

f) DIONYS. HALIC. *lib. VII. p. 475*

ducendoque in publicum, operam, non plane nullam, adhibemus, ad conflictum prodierit. Quanquam id penitus negare non ausim, armatos interdum eosdem Paradoxos processisse, si praesertim cum ualentiore esset aduersario dimicandum. Prius tamen, credo, Numismatis auctoritate communiri. Idem porro Athleta, qui est coronandus, digna res notatu, dextra sublata, cernitur in eodem Numo, quasi libere uelit, omniumque in oculis spectatorum, declarare, se, fide, quam ante certamen rite dederit praefecto ludicri, magna religione seruata, iam iam coronari *νομίμως*, ut loquitur PAVLLVS, et Brabeutam adeo, praemio distribuendo, ΚΑΛΩΣ ΚΑΙ ΠΡΕΠΟΝΤΩΣ, ut habet Marmor Deliacum, munere fungi suo. Sed enim de iureiurando Athletarum, cuius indicium nondum alius ullus Numus mihi fecit, erit deinceps opportunior dicendi locus.

VIII

Adest ergo, nec id obscure, uictor unius certaminis. Sed oculis paullisper circunspice, ut alium Brabeutam uideas, ad dextram Asiarchae, aliquanto tamen remotius, stantem, qui, nudus identidem, tegmen quoddam, a sinistro humero ad dextrum femur demissum, in dorso gerens, eidem Athletae

Pal-

Palmam exaduerſum ſurrigit. Cedo, quid hoc ſibi uult. Si qua eſt in me iudicandi uis et facultas, nihil aliud innuit, quam, talem hic ſpectari certatorem, cui, uix coronato in Communi Aſiae Conuentu, contra omnium opinionem, aliud Graeciae certamen continuo attulerit uictoriam. Id ſane exquiſitius haud potuiſſe uidetur deſignari. Nam plura theatra non capiebat Numi tam anguſtum ſpatium, et, ſi fieri id potuiſſet, multo fuiſſet incertior explicandi ratio. Duo enim theatra cum uidiſſes, inque ſingulis uictorem Athletam, nonne, pronius ad intelligentiam eſſe, iudicauiſſes, duos uictores totidem ludorum effingi, quam unum gemini ludicri, uno eodemque die ſuperati. Nec uero ſedet ille Hellanodica, ſicut Aſiarcha, uerum ſtat, eum, ut appareat, non Communis Aſiae praeeſſe certamini, ſed noui iam Agonis iudicium dari, in quo idem Athleta, ex ſuperiore feruens adhuc uictoria, ſit coronatus. Ideo enim a Diribitore palma praebetur, id quod fieri minus ſolet, niſi iam explorata, partaque uictoria. Proinde his in Numis, quos commemorauimus, maxime in extremo, Παραδόξων Athletarum exempla, ſi non ſine ulla dubitatione, at probabiliter certe, mihi uideor aperuiſſe

CAPVT VI

I. In Augustini, Gaulmini, Modii, Potteri, Bulengeri, Reinesii, Valesii, Cuperi, definitionibus Athletae Παραδόξου *desideratum aliquid.* Παράδοξος *is, qui bis pluriesue uno die uictor discessit, idque* II. *pluribus exemplis comprobatum. Nunquam a Pausania nominati* Παράδοξοι, *quamuis diues ille sit horum exemplis. Duae uictoriae unius hominis uno die. Suidas notatus, et cursim correctus. Literae singulares, uitio scribarum, omissae. Hesychius bis correctus.* Λαμπροβούλιον, *sicuti* Κοινοβούλιον. *Olympiadum descriptio ter emendata. Discessum a Scaligero.* III. *Plura exempla athletarum, qui bis, ter, quater, quinquies, sex, eodem die uicerint.* Ἀνδρῶν *et* Παίδων *certamina. Sol, pro die.* Δίαυλος, *quid. Glossae, Hesychiique interpretator, notati, ob confusum cum Pugilatione Pancratium.* IV. Πένταθλοι, *Quinquertiones, non, uno die quinquies uincentes, contra Scholiasten Sophoclis, Festi Epitomisten, Camerarium, Perottum.* V. *Cimonis, et Philippi Macedonis, gemina uictoria uno die. Martyres, bis terue simul uictores*

I

Optandum foret, ut, qui genus hoc Athletarum, de quo sermo nobis institutus est, sparsim leuiterque attigerunt, hi clarius, atque explicatius, tradidissent rationem appellationis, in quo plerumque aliquid, sentias, desiderari. Namque AVGVSTINO, cuius sub nomine Principia illa Rhetorices, diximus, circumferri, Paradoxi sunt *Olympionicae, et ceteri uictores sacrorum certaminum.* Quod uerum si esset, certe hoc hominum genere Graecia uetus abundasset, nec tantae apud omnes iidem fuissent admirationi. Non magis

magis distincte GILBERTVS GAVLMINVS V.C. ὡς Ὀλυμπονίκης, apud EVSTATHIVM, *tanquam Paradoxus* reddidit [g], ei, ut facile appareat, imposuisse eiusdem AVRELII interpretationem. Obscurius, et ex parte confusius, loquitur de iisdem FRANCISCVS MODIVS [h]. Nam in ratione ludorum, spectaculorumque ueterum pertractanda, cum ad Hieronicas peruenisset, *Porro*, inquit, *uictores in his sacris ludisque corona pinea coronabantur, et peculiaribus uocabulis olim Pythiones* (*uoluit dicere Pythionicae*) *et Paradoxi nuncupabantur, quod est, si uelis interpretari, supra hominum opinionem.* Itane uero intelligis tu, qui fuerint Παράδοξοι. At IOANNI POTTERO [i], cuius Archaeologia Graeca saepe spem fallit eruditorum, Paradoxi dicuntur, *qui in omnibus certaminibus palmam tulerunt*, cumque de quatuor sacris ac solemnibus Ludis ei sermo sit, sane mireris, oportet, ad Paradoxonicas illud referri, quod potius de Periodonicis fuerat sentiendum. Nihil etiam dicit, quod a tanto uiro expectasses, IVLIVS CAESAR BVLENGERVS [k], *Parodoxi, id est, aurigae uictores*, et, paucis

g) EVSTATH. *de Ism. et Ismen. Amor. lib. V. p. 160.* GAVLMIN. *Not. ad h. l. p. 27*

h) MODIVS, *de Lud. et Spectac. Vet. II. 23.*

i) POTTER. *Archaeol. Gr. II. 21. p. 408*

k) BVLENGER. *de Circo Rom. Ludisq. Circens. cap. 55. p. 717. 718. Tom. IX. Graec.*

paucis interpositis, *Paradoxi dicebantur, qui uicerant, quasi admirabiles.* Hoc si est, explicare antiquitatem, credo ego, posse facilius ab ea uestiganda taedio absterreri iuuentutem, quam ad tale studium inflammari, quod plurimum amoenitatis habet, si recte tractetur. THOMAE REINESIO [l], at quanti ingenii, quamque spectatae doctrinae, homini, Athletae Παράδοξοι *sunt* περισσοὶ, ἐξαίρετοι, ἔξοχοι, *excellentes prae reliquis.* Haud sufficit ratio. HENRICVS VALESIVS [m], Graeca in primis literatura politissimus, *Paradoxi dicebantur*, inquit, *athletae, qui multas uictorias retulerant.* Recte illud quidem, ni deesset, id quod est palmarium, uno die. GISB. CVPERVS [n], quo homine nihil in omnem partem eruditius, Παράδοξος παλαιστὴς *dicebatur, qui eodem die binis spectaculis uicisset, quoniam id rarum, et contra communem opinionem.* Binis spectaculis. Addo etiam pluribus. Dicas ergo accuratissime talem Athletam, qui duas, uel plures, facit, eodem die, uictorias

II

Insignis eam in rem, in primisque perspicuus, est locus PLVTARCHI, quem supra emen-

l) REINES. *Syntagm. Inscript.* p. 314

m) VALES. *Annotat. ad Euseb. Hist. Eccl. lib VIII. p.* 165

n) CVPER. *Obseru. I.* 4

emendatius adduximus. Hoc enim auctore, illos demum Paradoxonicae elogium, scimus, meruisse, τοὺς ἡμέρᾳ μιᾷ πάλῃ ἅμα καὶ παγκρατίῳ στεφανουμένους, *qui uno die luctatione, pancratioque, simul coronati fuissent.* Etsi tantummodo Luctationis atque Pancratii meminit, cetera tamen haud excludit genera Ludorum. Ponit enim, ut in scholis loquuntur, Speciem pro Genere, ut duo genera Agonum intelligas, quoquo tandem nomine appellentur. Adde Numos superiores, tertium potissimum, quorum testimonio duplicem uno die uictoriam Athleta reportat, si tibi nostra non displiceat coniectura. Horum exempla, expressis ipsorummet uictorum nominibus, cum alii memoriae prodiderunt, tum nemo diligentius, in Eliacorum utroque libro dispersim multis locis, PAVSANIA; quamuis ipse, in commemorandis iis, nunquam, quod mirere, Παραδόξων utatur appellatione, cuiusce rei caussam malim ego a peritiore quodam expectare, quam ipse eruere, non est enim expedita ratio. Atque Luctatione et Pancratio qui uicerint eodem die, ut plures narrantur, sic primus omnium ponitur ELEVS CAPRVS, PYTHAGORAE filius, non illius Philosophi Samii, sed aut PYTHAGORAE Laconis, qui Olym-

Olympiade XVI ſtadii uictor extitit [o], aut PYTHAGORAE Phliaſii, σωμασκητοῦ καὶ ἀλείπτου, cuius feruntur libri de re Athletica [p], aut denique PYTHAGORAE Samii, pugilis, Olympiade XLVIII uictoris, quem perperam cum Philoſopho huius nominis confundi, notat pluribus H. DODVELLVS [q]. Huius uictorias Capri, quas obtinuerit Olympiade CXLII, ita refert PAVSANIAS [r]. Παγκρατίου μὲν οὖν, μιᾷ πρὸς Μ καὶ Ρ Ὀλυμπιάσιν, ἔφθανεν ἀνῃρημένος νίκην. Ἡ δὲ Ὀλυμπιὰς ἡ ἐφεξῆς εἶχε τὸν Κλειτόμαχον τοῦτον, παγκρατίου καὶ πυγμῆς ἀγωνιστήν. Εἶχε δὲ καὶ Ἠλεῖον Κάπρον, ἐπὶ ἡμέρας τῆς αὐτῆς παλαῖσαί τε ὁμοῦ καὶ παγκρατιάσαι προθυμούμενον. *Et pancratii quidem uictoriam* Clitomachus *nactus eſt, Olympiade centeſima quadrageſima prima. Sequens autem Olympias habuit eundem Clitomachum, pancratio et pugilatu dimicantem. Habuit etiam Eleum Caprum, qui hac ipſa die Luctationem atque Pancratium profeſſus eſt.* Idem, unius

o) ANONYM. Ἀναγραφ. Ὀλυμπ. p. 39. in Graec. *Euſeb* cap. 5. p. 19

p) IAMBLICH. *Vit. Pythag.*

q) DODVELL. *de Aetat. Pythag.* p. 113. 117. 124

r) PAVSAN. II. *Eliac. cap.* 15

unius paginae interiecto spatio. Παρὰ δὲ αὐτὸν ἀνδριάντες δύο ἀνδρός εἰσι Κάπρου, τοῦ Πυθαγόρου, πάλης τε εἰληφότος καὶ παγκρατίου στέφανον ἐπὶ ἡμέρας τῆς αὐτῆς. Πρώτωι δὲ γεγόνασιν ἀνθρώπων αἱ δύο νῖκαι τῶι Κάπρωι τούτωι. *Proxime astant duae statuae Capri, Pythagorae filii, qui ex Luctatione Pancratioque uno die coronam cepit. Hic est primus omnium, cui gemina haec uictoria contigit*, nempe uno die parta. Nam idem factum ex PAVSANIA SVIDAS [s], sed paullo confusius, ita, ut uerba, καὶ πρῶτος (sic duce PAVSANIA, legendum, non μόνος. sunt enim alii hunc secuti, iisdem uictoriis clari) μιᾶς ἡμέρας εἴληφε πάλης καὶ παγκρατίου στέφανον, *et primus cepit uno die Luctationis et Pancratii coronam*, male ad CLITOMACHVM referat, quae potius de Capro ualent, ut a doctissimo KVSTERO uideo occupatum. Hunc tamen ipsum, quanquam non recte, CARVM uocat auctor Ἀναγραφῆς Ὀλυμπιάδων [t]; in EVSEBIANIS SCALIGERI, qui uulgo censetur esse AFRICANVS.

s) SVID. u. Κλειτόμαχος t) EVSEB. *Chron. lib. II. p.* 41

CANVS. Namque haec, ſub dicta Olympiade, is ponit. Κάρος Ἠλεῖος καὶ πάλην, καὶ παγκράτιον, ἐνίκα μετὰ Ἡρακλέα, καὶ ἀναγράφεται (quidni ἀνεγράφετο) δεύτερος ἀφ' Ἡρακλέους. *Carus Eleus et Luctationem, et Pancratium, uicit poſt Herculem, atque alter ab Hercule in faſtos fuit relatus.* Perperam et mendoſe Κάρος, pro Κάπρος, neglecta literula una, ut fit, librariorum feſtinatione. De quo plura exempla, ex Graecis et Latinis, CANTERVS [u] ac SCIOPPIVS [x] congerunt. Nos uno contenti erimus HESYCHIO [y]. Scribitur apud hunc, in editione Hagenoenſi, ceteris alioqui correctiore, ἀχόρτατος, pro ἀχόρταςος, quod recte aſciſcit ALBERTINA. Ἰάχωι [z], inquinate, pro Ἰνάχωι, ut plures iam apud Clariſſimum ALBERTI uiderunt, quibus recte MEVRSIVM [a] adiungas, hic enim ceteris anteceſſerat, ſi excipiatur CASAVBONVS. Μάτην [b], pro μάντιν, ut doctiſſimi interpretes, quos idem ALBERTI laudat probat-

que,

u) CANTER. *de rat. emend. Graec. Auctor. cap.* 2

x) SCIOPP. *de Art. Crit. p.* 60

y) HESYCH. *u.* Ἄατος

z) HESYCH. *u.* Ἀλωπός

a) MEVRS. *ad tres Tragoed. p.* 54

b) HESYCH. *u.* Γραῦς ἐρίφος

que, corrigunt, et, praeter illos, PAVLLVS LEOPARDVS [c]. Θηρῶδες [d], pro ἀθηρῶδες, ſi praeſtantiſſimos eiuſdem Gloſſarii explanatores, nouiſſimumque Batauum, audiamus, quod uoluerat etiam PETAVIVS [e]. Miſſis compluribus huius mendi ſpeciminibus, duo nunc addo, ex eodem eruditiſſimo Gloſſario deprompta, nec dum a quoquam animaduerſa, quod quidem meminerim. Primum eſto, Ἀγάζεται. σέβεται. Sic quidem uulgo. At uidetur ſane uocabulum improuiſo ſede ſua motum, itaque ſcribendum. Ἁγιάζεται. σέβεται. Clare HESYCHIVS, paullo poſt. Ἁγίαζε. σέβου. Alterum illud eſt, Ἀγλαομήτια λαμπρόβουλον. Leg. Ἀγλαομητία. λαμπροβόυλιον. SVIDAS enim ἀγλαομητίαν interpretatur μεγάλην βουλήν. Λαμπροβόυλιον autem, eadem forma, ut ΚΟΙΝΟΒΟΥΛΙΟΝ, in CARACALLAE Numo Tarſenſi, quem VAILLANT [f] deſcripſit, ipſa icone a SPANHEMIO [g] MORELLIOque [h] diuulgata. Iam ut ad CAPRVM reuertar, dicitur hic ſecun-

K dus

c) LEOPARD. Emend. V. 21
d) HESYCH. u. Ἔτνος
e) PETAV. ad Syneſ. p. 8
f) VAILLANT Numiſm. Impp. Vol. II. p. 254. edit. nouiſſ.
g) SPANHEM. Orb. Romnn. p. 292. Tab. II. 8
h) MORELL. Specim. rei Nnm. Tab. IV. 3

dus ab Hercule, quoniam, hunc ipſum luctatione et pancratio, uno die, incertum, an ſeparatis temporibus, ferunt, Olympia uiciſſe [i]. Tertius ab HERCVLE, iiſdem uictoriis Olympiade CLVI clarus, tantum a patria Rhodius cognominatur ab eodem ANONYMO Deſcriptionis Olympiadum. Ὁ αὐτὸς τὸ τρίτον, Ῥόδιος, τρίτος ἀφ᾽ Ἡρακλέους πάλην ὁμοῦ καὶ παγκράτιον. IOSEPHVS SCALIGER [k] LEONIDAM Rhodium intelligit, credo, quod in antegreſſis Olympiadibus legerat ibidem, Λεωνίδας Ῥόδιος τριαστὴς στάδιον, et, ὁ αὐτὸς τὸ δεύτερον. At uero PAVSANIAS [l], quod GVLIELMO LLOYDIO [m], Epiſcopo Couentrenſi et Lichfeldenſi, probe notatum, ARISTOMENEM Rhodium hunc appellat, idque uerum eius nomen. Ergo locus ANONYMI, ſola interpunctione, ita ſanandus. Ὁ αὐτὸς τὸ τρίτον. Ponatur τελεία στιγμή. Nempe idem LEONIDAS, de quo modo dictum, tertium ſtadio uictor. Iam noua ſequitur animaduerſio. Ῥόδιος πάλην

i) PAVSAN. *I. Eliac. cap.* 8. *p.* 393

k) SCALIG. Ἱστορ. Συναγ. *p.* 334

l) PAVSAN. *I. Eliac. c.* 21. *p.* 432

m) LLOYD. *ad Olympiad. CLVI.* 1

πάλην ὁμοῦ καὶ παγκράτιον, τρίτος ἀφ᾽ Ἡρακλέους. Sic continuo, monitus a PAVSANIA, intelliges, ante Ῥόδιος excidisse Ἀριστομένης, ut haec sit sententia uerborum. *Aristomenes Rhodius Luctationem simul et Pancratium, tertius ab Hercule, uicit.* Quartum ab HERCVLE, PROTOPHANEM, Magnetem, eadem Descriptio Olympiadum dat, πάλης καὶ παγκρατίου uictorem Olympiade CLXXII. Id uno accidisse die, ne quid dubites, audi PAVSANIAM [n]. Μάγνησι, τοῖς ἐπὶ Ληθαίωι, Πρωτοφάνης τῶν ἀστῶν ἀνείλετο ἐν Ὀλυμπίαι νίκας ἡμέραι μιᾶι παγκρατίου καὶ πάλης. *Apud Magnesios, qui ad Lethaeum incolunt, Protophanes, unus e ciuibus, Pancratii et Luctationis uictor Olympiae die eodem citatus est.* Quintus, STRATON, CORRHAGI filius, Alexandrinus, qui, AELIANO [o] teste, Ὀλυμπίασι μὲν ἐνίκησεν ἡμέραι μιᾶι πάλην καὶ παγκράτιον ἐπὶ τῆι ΡΟΗ Ὀλυμπιάδι, *in Olympiis uicit una die Luctationem et Pancratium Olympiade CLXXVIII.* Sic, εὐστόχως sane eleganterque, MEVRSIVS [p],

 ὁ μέ-

n) PAVSAN. *Attic. cap.* 35

o) AELIAN. *Var. Hist. IV.* 15. *p.* 334. *edit. Perizon*

p) MEVRS. *Attic. Lect. III.* 28

ὁ μέγας, corruptum locum refingit, quanquam eximie docto PERIZONIO ne sic quidem, quae sequuntur, omnia persanata uideantur. Refert etiam, ex Fastis Olympicis, Geographus [q], saepe nominatus, Στράτωνα Ἀλεξανδρέα, Ὀλυμπιάδι ὀγδόῃ μετὰ τὰς ἑβδομήκοντα καὶ ἑκατὸν, ἐπὶ ἡμέρας ἀνελέσθαι τῆς αὐτῆς παγκρατίου καὶ πάλης νίκην, *Stratonem Alexandrinum, Olympiade centesima septuagesima octaua, eodem die Pancratii Luctationisque uictoriam reportasse.* Idem [r], alio loco. Στοὰ δὲ, τῆς πόλεως πλησίον, ἐποιήθη Στράτωνι ἀθλητῇ, Ὀλυμπιάσιν ἐπὶ ἡμέρας τῆς αὐτῆς παγκρατίου καὶ πάλης ἀνελομένῳ νίκας. *Structa est suburbana porticus Stratoni athletae, qui in Olympiis eodem die Pancratii Luctationisque uictorias nactus est.* Corruptum est nomen, *Stratonicus*, ut hodie extat in illa Ὀλυμπιάδων Ἀναγραφῇ, sub ea, qua diximus, Olympiade. Στρατόνικος Κοράγου Ἀλεξανδρεὺς πάλην καὶ παγκράτιον, πέμπτος ἀφ' Ἡρακλέους. Rescri-

q) PAVSAN. I. *Eliac.* c. 21. p. 432 r) PAVSAN. *Achaic,* c. 23. p. 582

Reſcribe, haud dubitanter. Στράτων, ὑιὸς Κορράγου, *Straton, filius Corrhagi.* Sextus, Olympiade CLXXXII, MARION, MARIONIS filius. Septimus, Olympiade CXCVIII, ARISTEAS Stratonicenſis, ſiue Maeandrius. Octauus, Olympiade CCIV, STRATVS Argeates, ſeu NICOSTRATVS Cilix. Denique, Olympiade CCXXXII, SOCRATES. Sic apud ANONYMVM, ſaepius memoratum, itemque PAVSANIAM [s]. Vide ergo Athletas, Luctatione Pancratioque Παραδόξους

III

Sed Luctatione et Pugilatione uincit uno die ELEVS Paeanius, DEMETRII filius. Hunc enim, PAVSANIAS [t] probat, καὶ Πύθια παίδων τε πυγμῆι, καὶ ἆυθις ἐν ἀνδράσι πάλῃι τε καὶ πυγμῆι, ςεΦανωθέντα ἐπὶ ἡμέρας τῆς ἀυτῆς, *et in Pythiis pueros pugilatu uiciſſe, et rurſum in uirorum certamine Luctatione ac Pugilatione fuiſſe eodem die coronatum.* Quod et paullo poſt idem attingit [u], eum, teſtans, τὰς δύο Πυθικὰς ἀνῃρημένον νίκας, *duplicem in Pythiis uictoriam adeptum.* Hae

s) PAVSAN. *I. Eliac.* c. 21. *p.* 432

t) PAVSAN. *II. Eliac.* c. 15. *p.* 490

u) PAVSAN. *II. Eliac. cap.* 16. *extrem*

ſunt illae ΑΝΔΡΩΝ, atque ΠΑΙΔΩΝ, uictoriae, toties celebratae in Graecis Lapidibus, quorum aliquot nuper attulit exquiſite doctus explanator MARMORIS SANDVICENSIS [x]. Puerorum certamina inſtituerunt Elei, nullo ueteris memoriae exemplo, arbitratu ſuo, ac primum de curſu et luctatione, tum de pugilatu, pueris praemia propoſita ſunt, auctore PAVSANIA [y]. Apud DIONEM Pruſaeenſem [z], ὅδε μὲν νικᾷ πάλην παίδων, ὅ δὲ ἀνδρῶν, *alius Puerorum uincit luctationem, alius Virorum.* ΑΝΔΡΩΝ ΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝ, et ΑΓΕΝΕΙΩΝ ΠΑΓΚΡΑΤΙΟΝ, id eſt, Παίδων, in LAPIDE NEAPOLITANO [a]. Et AGESIDAMVM, Locrenſem, in puerorum pugilatu Olympiae uincentem, Ode PINDARICA decima laudibus effert. Tale Puerorum Ludicrum, de quo diligenter CAROLVS PASCHALIVS [b] explicat, cernas, licet, in Romano Sarcophago priſcae artis, apud SPONIVM [c]. Diauli porro Stadiique curſu uicit in Pythiis HIPPOCLEAS Theſ-

x) IO. TAYLOR. *Not. ad Marm. Sandvic.* p. 69. 70

y) PAVSAN. *I. Eliac.* c. 8. p. 394

z) DIO CHRYSOST. *Orat. Olymp.* p. 198

a) REINES. *Claſſ. V.* n. 22

b) PASCHAL. *de Coron. VI.* 29

c) SPON. *Miſcell. Sect. VI.* p. 228

Theſſalus, idque ἁλίωι ἀμφ' ἑνὶ, *in uno ſole*, ut LYRICVS [d] loquitur, μετωνυμικῶς; hoc eſt, ἐν μιῶι ἡμέραι, uel ἐν τῆι αὐτῆι ἡμέραι, *eodem die*, ut Critici Veteres [e] dictionem Thebani Vatis explicant. Quem ad modum *Solem pulchrum*, hoc eſt, Diem fauſtum, HORATIVS [f] dixit, Pindari perpetuus imitator. Incidit haec gemina uictoria, ut ERASMVS SCHMIDIVS [g] refert, in Pythiaden XXII, ſiue Olymp. LXIX. quanquam GVLIELMVS LLOYDIVS ad Pythiad. XXIV, ſiue Olymp. LXXIII, eam referendam exiſtimet. Δίαυλος autem, quod POLLVX [h] τὸ διπλοῦν ςάδιον, *duplex ſtadium*, uocat, VITRVVIVS [i] *duorum ſtadiorum ambulationis circuitionem*, eſt curriculum pedum mille et ducentorum, ſiue, ut Critici ueteres ad ARISTOPHANEM [k], Δίαυλος, ὁ διττὸν ἔχων τὸν δρόμον ἐν τῆι πορείαι, τὸ πληρῶσαι τὸ ςάδιον, καὶ ὑποςρέψαι, *quod duplicem habet in inceſſu curſum, ut et emetiare ſtadium, et reuertare*,

K 4

d) PINDAR. *Olymp. XIII.* ἀντιςροφ. β. *u.* 6. 7

e) SCHOL. *Pindar. Olymp. XIII. p.* 147. *Pyth. X. p.* 298. *edit. Oxon*

f) HORAT. *lib. IV. Od.* 2. *u.* 46. 47

g) SCHMID. *Proleg. in Pindar. p.* 30. *et Not. ad Pind. Pyth. p.* 348

h) POLLVX *III.* 147

i) VITRVV. *de Architect. V.* 11

k) SCHOL. *Ariſtoph. in Au. u.* 293

uertare, ita nominatum, quia ſtadium, quod curreretur, anguſtum eſſet, ſed porrectum, ad formam ἀυλοῦ, id eſt, tibiae [l]. De quo Diaulo plura, licet, reperias apud IOANNEM ARGOLVM [m], BERNALDINVM BALDVM [n], atque HESYCHII doctos interpretes [o]. Denique, in ſolemnibus Heracleorum, Meliſſo Iſthmionicae, teſte PINDARO [p], διπλόαν νίκαν, *duplicem uictoriam*, affert δεύτερον ἆμαρ, *poſtera dies*. Vicit Olympiade CLXXVII HECATOMNVS Mileſius ςαδίωι, διαύλωι, et ὁπλίτης, ſimul, ut, ex PHLEGONTIS Catalogo Olympiadum, ſed diligentius interpungendo, cum SCALIGERO [q], probat LLOYDIVS [r]. Δολιχῶι, id eſt, longiore curriculo, ςαδίωι, διαύλωι, idem dies coronat POLITEN, natione Carem [s]. Ex Pancratio tres palmas uno die aufert ARTEMIDORVS TRALLIANVS [t]. Pancratio, Periodo, Luctatione, Παράδοξος euadit DEMETRIVS Hermo-

l) VOSS. *de Gymnaſtic.* §. 40

m) ARGOL. *Not. ad Panuin. de Lud. Circenſſ. p. 314. 315. Tom. IX. Graen.*

n) BALD. *Lexic. Vitruu. p. 39*

o) HESYCH. *Tom. I. p. 973. not. 1. edit. Albert*

p) PINDAR. *Iſthm. Od. IV.* ἐπῳδ. δ. *u. 1. 5. 6.*

q) SCALIG. Ἰςορ. Συναγ. *p. 336*

r) LLOYDIVS *ad Olymp. CLXXVII. 5*

s) PAVSAN. *II. Eliac. c. 12. p. 482*

t) PAVSAN. *II. Eliac. c. 14. p. 485*

Hermopolites, ΠΑΝΚΡΑΤΙΑCΤΟΥ· ΠΕΡΙΟΔΟΝΕΙΚ· ΠΑΛΑΙCΤΟΥ· ΠΑΡΑΔΟΞΟΥ· nominibus insignis, in FARNESIANO Marmore, quod magnam partem supra exscripsimus. Luctatione, Pugilatione, Pancratio, Clitomachus Thebanus Isthmiis superior discessit, teste ALCAEO [x], cuius hi sunt uersus.

Οἷον ὁρῇς, ὦ ξεῖνε, τὸ χάλκεον εἰκόνι λῆμμα
Κλειτομάχου, τοίαν Ἑλλὰς ἐσεῖδε βίαν.
Ἄρτι παρ' αἱματόεντα χερῶν ἀπελύετο πυγμᾶς
Ἔντεα, καὶ γοργῶι μάρνατο παγκρατίωι.
Τὸ τρίτον οὐκ ἐκόνισσεν ἐπωμίδας, ἀλλά, παλαίσας,
Ἀπτώς, τοὺς τρισσοὺς Ἰσθμόθεν εἷλε πόνους.
Μοῦνος δ' Ἑλλάνων τόδ' ἔχει γέρας. ἑπτάπυλοι δὲ
Θῆβαι, καὶ γενέτωρ, ἐστέφεθ' Ἑρμοκράτης.

 Dixeris

x) ANTHOLOG. GRAEC. *lib. IV. p. 291. 296. edit. H. Steph*

Dixeris ita Latine.

Quale uides, hospes, aeneum epigramma in statua
Clitomachi, tale Graecia robur aspexit.
Is, a Caestuum pugna mox ad cruenta progressus
Arma, dimicauit atroci Pancratio.
Tertium humeros non foedauit puluere, sed, Luctans,
Statu non deiectus, ternos hos uicit Isthmicos agonas.
Solus hic Graiorum tale praemium cepit, septem autem portarum
Thebae, et pater Hermocrates, inde coronati sunt.

Hanc tamen trinam uictoriam ad unum diem pertinere, auctor PAVSANIAS [x] est. Ἐν Ἰσθμῶι παλαιστὰς κατεπάλαισεν ἄνδρας, καὶ ἐπὶ ἡμέρας τῆς αὐτῆς τούς τε (melius ἐς legas, cum Cl. KVHNIO) τὴν πυγμὴν, καὶ τοὺς ἐς τὸ παγκράτιον, ἐσελθόντας ἐκράτει τῆι μάχηι. *Ad Isthmum luctatoribus praeualuit, eoque ipso die pugiles et pancratiastas certamine superauit.* Quae SVIDAS ita descripsit.

Κλει-

x) PAVSAN. II. *Eliac. c. 15. p. 489*

Κλειτόμαχος, Θηβαῖος, ἐν Ἰσθμῶι τοὺς παλαιστὰς, καὶ πύκτας, καὶ παγκρατιστὰς, ἐπὶ ἡμέρας τῆς αὐτῆς ἐνίκησε. *Clitomachus, Thebanus, in Isthmo luctatores, pugiles, pancratiastas, uicit eodem die.* Ex quo iudicari potest, quantum a Pancratio distet Pugilatus, quae tamen confunduntur in Glossis Graecis Παγκρατιαστής. *Pugil. Pugilator.* et in Latinis, *Pugil.* πύκτης, παγκρατιαστής. item, *Pugilator.* παγκρατιαστής. Nec melius ipse HESYCHIVS [y], uel potius eius interpolator, Παγκρατιαστὰς πύκτας interpretatus est. Hi si didicissent, Pancratium pugilatu luctatuque constitisse [z], eo sese occupari errore, passi non fuissent. Rectius, atque cogitatius, DIO Prusaeensis [a], alios, dicit, uincere πυγμὴν, *caestu*, alios παγκράτιον, *pancratio.* At quatuor obtigerunt uictoriae STRATONI, Corrhagi filio, quem semel iam memorauimus. Namque hic, ut in Olympiadum Descriptione [b] annotatum legimus, Νεμέαι, τῆι αὐτῆι ἡμέραι, παι-

y) HESYCH. u. Παγκρατιάζειν

z) PLVTARCH. *Sympos.* II. 4

a) DIO CHRYSOST. *Orat. Olympic. p.* 198.

b) ἈΝΑΓΡΑΦ. Ὀλυμπ. p. 43

παίδων καὶ ἀγενείων τέσσαρας ςεφάνους ἔχεν, in Nemea, cum pueris atque imberbibus certans, quater eodem die est coronatus. Totidem palmas aufert M. VLPIVS DOMESTICVS, quem supra nominauimus, ΠΕΡΙΟΔΟΝΕΙΚΗΝ ΠΑΡΑΔΟΞΟΝ, ut uetus Saxum literatum loquebatur, talem Athletam indicans, quem Olympia, Pythia, Nemea, Isthmia, uno die uictorem habuissent. Fuit utroque superior TIMON, ECHECRATIDAE filius, Colyttensis, cuius uictorias, a Pugilatione, et Luctatione, et Cursu, et equorum Quadrigis, et pullorum Bigis, uno die reportatas Olympiae, LVCIANVS [c] extollit. *Νενίκηκε δὲ πὺξ, καὶ πάλην, καὶ δρόμον, ἐν Ὀλυμπίαι μιᾶς ἡμέρας, καὶ, τελείωι ἅρματι, καὶ συνωρίδι πωλικῆι.* En, omnes hi Athletae reuera *Παράδοξοι*, imo uero, si praecipue ultimos intueare, *παραδοξότατοι*

IV

Interim illud magnopere cauendum est, ne quis forte animum inducat, uti, Πεντάθλους, siue *Quinquertiones*, credat, a superatis uno die

c) LVCIAN. *Timon.* p. 152

die quinque agonibus nomen inueniſſe, eoque Παραδόξων numero aggregandos. Hunc quidem certe errorem ueteribus ad SOPHOCLEM Criticis [d] penitus inſediſſe, hoc eorum σχόλιον indicio eſt. ΠΕΝΤΑΕΘΛΑ ΝΟΜΙΖΕΤΑΙ ἅλμα, δίσκον, ἄκοντα, δρόμον, πάλην. Ταῦτα ΕΝ ΜΙΑΙ τις ἠγωνίζετο ΗΜΕΡΑΙ. *Saltum, diſcum, iaculum, curſum, luctationem. Haec VNO DIE certando ſuperari ſolebant.* Eſt eiuſdem ſententiae PAVLLVS ille, qui FESTVM in compendium miſit. *Quinquertium Graeci uocant* πένταθλον, *QVO DIE quinque genera artium ludo exercebantur.* Vterque male, meritoque ob id ipſum notatus a diligenti Veteris Agonis interprete [e]. Neque eo ſecius, a Tragici Scholiaſta ſe decipi, ὁ ἑλληνικώτατος IOACHIMVS CAMERARIVS [f] paſſus eſt, qui, loquens de Pentathlo, *Nam et curſus CERTAMINA*, inquit, *inter ILLA QVINQVE, quae VNO DIE ſolebant peragi, numerantur.* Et NICOLAVS PEROTTVS [g], Latine, quam Graece, doctior, iisdem paene uerbis,

d) SCHOL. SOPHOCL. *Electr. u. 694*

e) FABER *Agoniſt. I. 31*

f) CAMERAR. *ad Sophocl. El. p. 89. 90. edit. Paulli Steph*

g) PEROTT. *Cornu Cop. p. 619. uerſ. 27*

uerbis, eodemque errore, ac FESTI Epitomiſtes, *Quinquertium, quod Graeci pentathlum uocant, QVO DIE quinque genera artium in ludis exercebant.* Parum aberat, quin idem SCALIGERO, patri, uitio darem, cum haec legerem in Indice ad ſeptem libros Poëtices, Πένταθλον *dicitur de quinque certaminibus SIMVL*, niſi, ex praefixa Indici admonitione, didiciſſem, alium eſſe rerum, in ordinem hic digeſtarum, auctorem. Certe notior fuit ipſi SCALIGERO [b] ratio quinque horum certaminum, quam, ut, unius diei ſpatio abſoluta ea fuiſſe, exiſtimauerit. Nihil etiam de uno die extat apud ARISTOTELEM [i], in explicatione πεντάθλου. Qua re hoc perinde ineptum eſt, ac ſi uelis Periodonicen eum interpretari, cui dies unus quatuor uictorias attulerit, quod quidem nemo dixit unquam. Interim illud do, fieri potuiſſe, ut haec quinque genera, quae ſunt in Pentathlo, aut quatuor, quae in Periodo, interdum uincerentur uno die, et tum demum is Athleta merebatur nomen Παραδόξου. Exemplo eſto M. AVRELIVS DEMOSTRATVS, quem Pancratiaſten, Periodonicen, Pugilatorem, Παράδοξον, loquuntur tituli uetu-

b) SCALIG. *Poëtic. I. 22.* i) ARISTOT. *Rhetoric. I. 5. §. 36*

uetuſtorum Marmorum, quos ſupra deſcripſimus. Horum uterque ſexies uno die coronatus eſt. Totidem uictoriarum laude celebratur, in Ode PINDARICA decima tertia, XENOPHON Corinthius, Theſſali filius, πεντάθλωι ἅμα ςαδίου νικῶν δρόμον, *quinquertio ſimul et ſtadio uincens Olympiae* [k], id eſt, una eademque die, ut recte SCHMIDIVS noſtras, et BENEDICTVS, ac dudum ante Graecus interpres

V

Elegans eſt tralatio, qua DIO CHRYSOSTOMVS utitur, ut oſtendat, eſſe aduerſus uoluptates, uitaeque aerumnas, ita grauiter quotidie dimicandum, ut duplex capiatur uictoria. Id eximie uocat idem ἀγῶνα παράδοξον. Neque alia PLVTARCHVS mente CIMONEM Παραδοξονίκην uſurpat, quam, hunc, ut demonſtret, eodem die pari fortuna terra marique uſum, hoſtiumque claſſe deuicta, ſtatim barbarorum copias proſtrauiſſe, ut CORNELIVS NEPOS [l] memoriae prodidit. Adde PHILIPPVM, Regem Macedoniae, quem, eo die, quo natus eſt ALEXANDER filius, geminae uicto-

k) PINDAR. *Olymp. Od. XIII.* ςροφ. β. *uerſ.* 8. 9

l) NEP. *Cimon. cap.* 2

uictoriae factum participem, cur non pari iure Παραδοξονίκην nominabimus. Audiatur, ex TROGO POMPEIO, IVSTINVS [m]. *EADEM quoque DIE nuntium pater eius DVARVM VICTORIARVM accepit, alterius, belli Illyrici, alterius, certaminis Olympici, in quod quadrigarum currus miserat.* Comparetur PLVTARCHVS [n], qui idem refert, easque uictorias, scribit, κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον, *uno tempore*, obtigisse, id est, ut perite Interpres, *eodem die.* EVSEBIVS denique, Testium Veritatis Cruentotum adhibita memoria, τῶν ὡς ἀληθῶς Παραδόξων τῆς θεοσεβείας Ἀθλητῶν, ut loquitur ipse, designatione, tales, uult, intelligi sanctiores Athletas, quibus eodem die gemina palma cesserit. Etenim hi Tyrii Martyres, flagris, per summam indignitatem, ac miserandum in modum, lacerati, cum bestiis committuntur continuo. Παραχρῆμα, inquit Historicus, quod, etsi in sua interpretatione omisit VALESIVS, haud exigui tamen momenti esse, arbitramur. Vult enim EVSEBIVS admirabilem fortitudinem horum Bestiariorum declarare, quippe qui, non separatis forte temporibus, sed eodem die, aliud

m) IVSTIN. *XII.16.6.* n) PLVTARCH. *Alexand. p.666*

aliud ſuper aliud certamen inierint, atque, ex faucibus immanium Beſtiarum, acerbiſſimorumque Flagrorum ſaeuitia, duplex ſibi praemium pararint. Quid, quod eoſdem Dei Athletas, ſi, flagrorum ſepoſita cogitatione, ſolam θηριομαχίαν ſpectes, ter uictores uno die uideas. Beſtiis obiectati, tanto ſe robore praeſtant, ὥςε ἤδη, διὰ τὸ ἄπρακτον τοῦ πρώτου, δεύτερον καὶ τρίτον προσαφίεσθαι ἑνὶ καὶ τῶι αὐτῶι μάρτυρι θηρίον, *ut, propter innoxium impetum primae beſtiae, rurſum altera ac tertia in unum eundemque martyrem immittatur*, ſed ſine ulla nocendi laedendiue poteſtate, θείαι καὶ ἀποῤῥήτωι δυνάμει μονονουχὶ φραττομένων τὸ ςόμα, καὶ αὖθις παλινδρομούντων εἰς τοὐπίσω, *coonſtrictis, diuina et abſtruſa quadam ui, eorum faucibus, ipſiſque*, inſtar uictorum hoſtium, *retro ſeſe uertentibus in fugam.* Sic ſane ipſe loquitur Hiſtoricus. Ex quibus apparet, apte omnino congruenterque nomen Ἀθλητῶν Παραδόξων ad hos Sanctos Martyras applicari.

CAPVT VII

I. *Semel uincere, quantum fuerit. Athletarum fortitudo, uictu singulari effecta. Paullo Ephes. VI, 10. sqq. lux allata. Praeparationes athleticae.* Τρέχειν ἀδήλως, *et* εἰς κενὸν, *quid.* II. *Sole feruente certatum, unde* ἥλιος, καῦμα, *Apocal. VII, 16. Timidi athletae, aut fugiunt ante certamen, aut animo deficiunt in certamine.* Ἀγωνίζεσθαι, *de summo studio et labore. Luc. XIII, 24. Coloss. I, 29. IV, 12. Colassenses, rectius, quam Colossenses.* III. *Apte dici athletas* Παραδόξους, *contra Augustinum ostenditur*

I

Eo digniores tam praeclara appellatione sunt Athletae, quo longius iidem, factorum admirabilitate suorum, communem uincunt opinionem. Hic mihi uelim cogites, quanti fuerit res laboris, quantarumque molestiarum opus, semel uicisse. Pone tibi ante oculos robur illud corporis, necessario ad pugnam afferendum, multaque exercitatione comparandum et probandum, quam quidem *magnitudinem uirium*, et CORNELIVS NEPOS [o], *ad Athletarum usum*, docet, *pertinere*, et ipse diuinus PAVLLVS [p] a spiritualibus Luctatoribus, quos πρὸς τὰς μεθοδείας τοῦ διαβόλου, πρὸς τὰς ἀρχὰς, πρὸς τὰς ἐξουσίας, πρὸς τοὺς κοσμοκράτορας τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου, πρὸς τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας

o) NEP. *Epamin. cap.* 2 p) EPHES. *VI.* 10. *sqq*

ρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, hostes profecto formidolosissimos, toto armat corpore, requirit, eos, probans, debere ἐνδυναμοῦσθαι ἐν Κυρίωι, καὶ ἐν τῶι κράτει τῆς ἰσχύος αὐτοῦ, *corroborari in Domino, et in fortitudine potentiae eius.* Quam ad firmitatem corporis multum conferebat cibi certa necessitas, quam dixerunt ἀναγκαιοφαγίαν, qui erat panis infermentatus [q]. Animo complectere tot aerumnas, frigora, famem sitimque, uigilias, sudores, flagrorum ictus, durissimos labores, quae quidem omnia, unius certaminis caussa, per decem continuos menses [r], Athletis perferenda erant in Praeparationibus illis, quae Graece Πρόπειραι, Προαγῶνες, Προγυμνάσματα, Μελέται, Ἀσκήσεις, quod etiam ueteres *Proludere* dixerunt [s], et σκιαμαχεῖν [t], PAVLLVS autem nunc τρέχειν ἀδήλως, nunc τρέχειν εἰς κενὸν, quo modo etiam MENANDER, quem PAVLLVS legerat [u].

q) BVDAEVS, *Annot. in Pandect. p.* 370. 371. *Viri Docti ad* HESYCH. *Tom. I. p.* 317. *not.* 5. *edit.* ALBERT

r) PAVSAN. *I. Eliac. c.* 24. *p.* 441

s) BVDAEVS *Annot. reliqu. in Pandect. p.* 165

t) POLLVX *III.* 150

u) I CORINTH. *IX.* 26. GALAT. *II.* 2. compar ALEX. MORVS, *ad quaed. loc. N. Foed. p.* 162. 163

Qui ſtudet optatam curſu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer, ſudauit et alſit,

ut praeclare VENVSINVS ille[x]. Et CICERO[y], elegantiſſima tralatione, de CATILINA. *Atque idem tamen, ſtuprorum et ſcelerum exercitatione aſſuefactus, frigore, et fame, et ſiti, ac uigiliis, perferendis, fortis ab his iſtis ſuis ſociis praedicabatur.* Quod etiam EPICTETO[z], de eadem umbratili pugna differenti, eſt γυμνάζεσθαι πρὸς ἀνάγκην, ἐν ὥραι τεταγμένηι, ἐν καύματι, ἐν ψύχει, *neceſſario exerceri, conſtituto tempore, in aeſtu, in frigore,* itemque πολλὴν ἀφὴν καταπιεῖν, μαστιγωθῆναι, *multum pulueris deglutire, flagris caedi,* et alia denique. De qua flagellatione eſt locus GALENI, a BERNEGGERO expoſitus[a]. Vt ueriſſime *duram uitam* Athletarum dixerit DAMEA ille TERENTIANVS[b]. Sic BASILIVS M.[c] Athletas in ſtadium, ait, procedere, πολλὰ μὲν γυμναστικοῖς ἐνιδρώσαντες πόνοις, πολλὰς δὲ πληγὰς ἐκ παιδοτρίβου λαβόντες, *multis exercitationibus gymna-*

x) HORAT. *Art. Poet. uerſ.* 412. 413

y) CIC. *II. Catilin. cap.* 5

z) EPICTET. *Enchirid. cap.* 35. *p.* 281. 282. *edit.* BLANCARD

a) GEORG. RICHTERI *Epiſt. Selectior. p.* 823

b) TERENT. *Adelph. Act. V. Sc.* 4. *uerſ.* 5

c) BASIL. *de legend. Graecis, cap.* 16

gymnasticis sudore excusso, multisque plagis a paedotriba acceptis. Quem ipsum Paedotribam, siue Γυμνασιάρχην, toruo trucique aspectu, duobus pueris colluctantibus astantem, uirgaque minitantem, uide, sis, apud LEONARDUM AUGUSTINUM [d] et IACOBUM PERIZONIUM [e], in Carniola. Sic in Arce Athenarum, iuxta signum Mineruae, ingens sphaera aenea collocata, in qua Athletis, prius, quam admitterentur ad certamen, experimentum uirium suarum edendum erat [f].

II

Fac, conferas te, si placet, ad ipsum agonem, ita solis aestu feruentem, uti spectatorum quoque facies, nimio adustae calore, torrefiant, ut scienter eruditeque Glossam HESYCHII, Ἄζωπες. αἱ ξηραὶ ἐκ τῆς θεωρίας, IACOBUS PALMERIUS explicat, Miles eruditissimus, *cui Musae non minus, quam Mars, fuerunt propitiae*, ut celeberrimi HEMSTERHUSII [g] uerbis utar. Hic mihi specta Athletas, in meridie concertantes, ac solem ardentissimum in feruentissimo puluere sustinentes, de quo M. TULLIUS dicit testimo-

d) AGOSTINI *Gemme Antiche, Part. I. n. 146*

e) PERIZON. *Addend. ad Aelian. p. 983*

f) MEURS. *Cecrop. c. 30. p. 88. 89*

g) HEMSTERHUS. *Praefat. in Polluc. p. 31*

ſtimonium, *Pugiles inexercitatos, etiam ſi pugnos et plagas Olympiorum cupidi ferre poſſint, ſolem tamen ſaepe ferre non potuiſſe.* Hinc Theſſalus ille Pythionices, apud PINDARVM [b], dicitur duum agonum honorem, ἁλίῳ ἀμφ' ἑνὶ, *in uno ſole*, conſecutus. Quod etſi ueteres ad eum locum Critici, ut diximus ſupra, de uno die recte explicant, uoluit tamen Lyricus illam ipſam diei partem deſignare, qua ſit pugnatum. Eadem PHILOSTRATVS [i] mente, τὸ μεσημβρινὸν κήρυγμα, *meridianam uocem praeconis*, expectare, ait, Athletas. Qua de re copioſe eruditeque PETRVS FABER [k] et IACOBVS LYDIVS [l] diſſerunt, ultimus etiam exquiſite IOANNEVM locum [m] inde illuſtrat, Οὐ πεινάσωσιν ἔτι, οὐδὲ διψήσουσιν ἔτι, οὐδὲ μὴ πέσῃ ἐπ' αὐτοὺς ὁ ἥλιος, οὐδὲ πᾶν καῦμα, *Non eſurient amplius, nec ſitient amplius, neque eos urgebit ſol, aut ullus aeſtus.* Namque hi uenerant ἐκ τῆς θλίψεως τῆς μεγάλης, quippe non ſuperati Luctatione, ſed ἑστῶτες, inſtar Athletarum, qui gradu deiici non poſſunt, inuictique

b) PINDAR. *Olymp. Od. XIII.* ἀντιστρ. β. *uerſ. 7*

i) PHILOSTRAT. *Vit. Apollon. VI. 6. extrem*

k) FABER *Agoniſt. III. 6*

l) LYDIVS, *Agoniſt. Sacr. cap. 4*

m) APOCAL. *VII. 16*

ctique ſtantes praemium expectant, ſicut ſupra in Graeco Numiſmate, *περιβεβλημένοι ϛολὰς λευκὰς*, tanquam Victores Olympiae, quos Veſte donari, moris erat, ut alias luculenter oſtendam, *καὶ Φοίνικες ἐν ταῖς χερσὶν αὐτῶν*, utpote exploratae ſignum uictoriae [n]. Hic ſi parumper morere, uidebis, alios metu aduerſariorum, quibuſcum pugnandum ſit, uſque eo occupari, ut, quo reſpexit ARISTIDES, recte a KVHNIO ad PAVSANIAM indicatus, ante diem certaminis fuga ſe ſubducant, qualis SERAPION memoratur, Alexandrinus pancratiaſtes, grauiter eam ob cauſſam multatus [o], alios, qui ſe excellenter in gymnaſio exhibuiſſent, ubi peruentum ſit ad uirtutis periclitationem, e carceribus iam emiſſos, prius, quam ad metam proceſſerint, animo deficere, ſpatioque nondum emenſo defetiſci [p]. Ex quo factum eſt, ut, *magno ſtudio et contentione aliquid facere*, Graecis *ἀγωνίζεσθαι* dicatur, teſte Commentatore POLYBII exquiſitiſſimo [q]. Vnde illud SERVATORIS noſtri [r], Ἀγωνίζεσθε, *εἰσελθεῖν διὰ τῆς ϛενῆς πύλης*, quo-

n) APOCAL. *VII. 9. 14*

o) PAVSAN. *I. Eliac. c. 21. p. 434.* LLOYD. *ad Olympiad. CCI. 1*

p) AESCHIN. *Dialog. III. π. Θανάτου, p. 84. edit.* CLERIC

q) CASAVB. *ad Polyb. p. 47*

r) LVC. *XIII. 24*

quoniam moleſtiſſimum, infinitiſque obſtructum afflictionibus, iter in coelum eſt [s]. Quem ad modum PAVLLVS atque EPAPHRAS pro *Colaſſenſibus* [t], ſic enim emendatiores habent Codices, Colaſſenſibus, inquam, in ſalutaris doctrinae capitibus firmiter fundandis conſtabiliendiſque, *ἀγωνιζόμενοι* dant operam, ut ſtudium, quantum poteſt eſſe maximum, in utroque ueritatis praecone agnoſcere debeamus [u]. Μεταφορικῶς ita

s) ACT. APOST. *XIV.* 22

t) Praeſtat, *Colaſſenſes* ſcribere, quam Coloſſenſes. Ita malunt Codd. ex quibus LVCAS HOLSTENIVS, ad Caroli a S. Paullo *Geograph. Sacr. p.* 232. pro eadem ſcriptione cauſſam dat, ſuffragantibus CHRISTOPH. CELLARIO, *Notit. Orb. antiq. Tom. I. p.* 152. IO. CONR. SCHWARZIO, *Monim. Ingenior. Tom. III. p.* 262. 263. aliiſque uiris doctis. Paucos N. Inſtrumenti Codices IO. MILLIVS nominat, in quibus Κολοσσαῖς, ceteri enim omnes Κολασσαῖς, idque retinendum in editione ſua idem MILLIVS iudicauit. Quanquam eam uarietatem in Genuinis N. T. Lectionibus PFAFFIANIS, quas, auctor ipſe fatetur, tumultuaria opera conſcripas, haud indicatam, inuenias. Addatur omnino Scriptus BERGERIANVS, in Membrana N. Foederis, *κολασσαεῖς. τοῖς ἐν κολασσαῖς.* SYRVS Interpres, Saeculo ſecundo, ſicut uidetur, ܩܘܠܣܣܝܐ *Culaſſöje*, ut, Κολασσεῖς in Graecis Codd. eum repeperiſſe, appareat. Ergo, ut Diſpoſitionem Imperii Orientis Patreſque nonnullos omittam, optimae, et ad fidem manu ſcriptorum accuratius expreſſae, Editiones N. Teſt. Κολασσεῖς et Κολασσαεῖς exhibent. At ſcriptio, *Coloſſenſes*, habet inſignem errorem hiſtoriae. Extiterunt enim, qui, cum, a Coloſſo nominari Coloſſenſes, arbitrarentur, PAVLLVM Rhodiis ſummiſiſſe Epiſtolam ſuam, cum THOMA DE PINEDO, docto Iudaeo, ad Steph. u. Ῥόδος, falſo affirmarent, quorum error facile cernitur, ipſoque ſitu regionum continuo refutatur

u) COLASS. *I.* 29. *IV.* 12

ita dicitur. Nam, *qui ſtadium currit, eniti et contendere debet, quam maxime poſſit, ut uincat*, ſicut CHRYSIPPVS[x] praecipit

III

Si quis haec, in anguſtum coacta, quaſi coram intueatur, nae huic perſpicuum fiet, quanto ſteterit una uictoria. Haec tamen cuncta uelut deuorare didicit noſter ille, quem in conſpectum damus, Παράδοξος. Non enim ita frangitur tot laboribus, quibus, unius palmae ſtudio, corpus exhauritur, ac paene conficitur, ut, uiribus debilitatus proſtratuſque, langueat, ſed ſubito uires colligit, moxque acriore niſu noua intrans certamina, pluribus, atque glorioſiſſimis, praemiis uno die nobilitatur. Quidni ergo talis Athleta merito admirabilis uideatur omni memoriae. Ex quo illud etiam perſpicitur, apte, maximeque congruenter, generi huic Athletarum Παραδόξου nomen indi a ueteribus, quanquam, accurate hoc dici, negat AVGVSTINVS, iſque cera miniatula recte notatur a FALCONERIO[y]. *Vulgo* enim tales uictores Paradoxos, ait, uocari, idque *magis conſuetudine, quam ratione*, factum, arbitratur. Sed enim, quaenam ſit ratio denominandi, ſatis abunde, ut arbitror, ſupra probatum eſt

x) CIC. de Offic. III. 10.

y) FALCONER. Not. ad Inſcript. Athlet. p. 44.

CAPVT VIII

I. Κυρίως Ludi Gymnici habent athletas Παραδόξους. *Ξυςὸς, ξυςὸν, neruose dictum, omisso δρόμος, ςάδιον. II. Poëtarum, Musicorum, Scenicorum, certamina. Pollux in bonis scriptoribus multa damnat. Citharistriarum uictoria, Numis expressa, sicut uidetur. Mytilene, quam Mitylene, accuratius scribi, probatur, ex Numis potissimum. Iudicium de Phrynicho.* Θυμέλη. *Cyrilli Lexicon MS. emendatur. Apollinis de Marsya tibicine uictoria. Appuleius, melius, quam Apuleius. Carpzouius IC. cursim notatus. Apolini, Vitelius, et alii huius generis errores Numarii. Choulii fides uacillans. Lloydius notatus. Nero, Tragoedias cantans. III. In illo triplici genere agonum Athletae* Παράδοξοι. Πυθαύλης, *quis. In explicatione Mimorum* Παραδόξων *discessum a Falconerio. IV. Oratorum, Historicorum, Pictorum, certamina, in quibus si quis uno die pluries uicerit, merito is dicendus* Παράδοξος. *Vossii, patris,* ἁμάρτημα μνημονικόν. *Panaenus, quo modo idem Phidiae frater et filius. Error Plinii et Pausaniae, correctus a Strabone. Ellipsis uocum,* υἱὸς *et* ἀδελφὸς, *item* ἀδελφὴ *et* θυγάτηρ, *quibusdam fraudi fuit. Circe, aliis soror Aeetae, aliis filia, ex quonam errore.* Ἰούδας, Ἰακώβου *Luc. VI, 16. Act. Apost. I, 13. V.* Ἀθλητὴς, *proprie de Gymnicis, sicut* ἀγωνιςὴς *de musicis et scenicis. Pollux, proprietatis diligens explanator. Xenophon, amans proprietatis. Athleta, apud Persas, pro Heroe.* Ἀθλοθέτης *et* Ἀγωνοθέτης, *differunt. Petrus Victorius laudatus.* Ἀθλητὴς, *late patens, de Philosophis, bellatoribus, piscatoribus, musicis, ac scenicis.* Ἔργον, *pro bello. Proprietati num semper studendum*

I

Etsi aliis quoque generibus concertationum, ut deinceps dicemus, non desunt Παράδοξοι, proprie tamen Palaestra hos sibi uindicat. Namque ARRIANVS, cuius uerba

uerba ſupra adduximus, ad Olympiae uictores idem nomen refert, atque AVGVSTINVS, ſeu quiſquis alius ſub hoc nomine latet, Olympionicas, ceteroſque Sacrorum Certaminum uictores, Paradoxos, ait, uſurpari. Sic, in Marmoribus priſcis, quae ſupra legenda dedimus, Σύνοδος Ξυςικὴ nominatur, atque ipſe Paradoxus τῶι Ξυςῶι datur. Ξυςὸς, de quo pluribus diſſerit ONVPHRIVS PANVINIVS[z], eiuſque doctus animaduerſor, IOANNES ARGOLVS, eſt illud ſpatium, quo motibus palaeſtricis corpus exercetur. Vnde *palaeſtrice ſpatiari in xyſto*, apud TVLLIVM[a]. HESYCHIO, Grammaticorum eruditiſſimo, Ξυςὸς, ἀνειμένος ἀθληταῖς τόπος, *locus, Athletis dicatus*, et Ξυςὸν, τόπος, ἔνθα οἱ ἀθληταὶ γυμνάζονται, *locus, ubi exercentur Athletae.* Nam utrumque recte dicitur, idque ἐλλειπτικῶς. In altero δρόμος deficit, ut plenius apud POLLVCEM[b], in altero commode, me quidem iudice, ςάδιον intelligas. Sed hoc curſim. Atque etiam ipſi Numi, quos ad idem genus Athletarum retulimus, Gymnicos Ludos perinde exhibent.

z) PANVIN. *de Lud. Circenſſ. II. 1. p. 299. 301. 302. Tom. IX.* GRAEV

a) CIC. *de opt. gen. Orat. c. 3*

b) POLLVX *III. 148. V. 43*

bent. Huc addantur, ex ARRIANO, Pugiles, Pancratiaſtae, Gladiatores, itemque, ex duplici Marmore, DEMETRIVS Hermopolites, Παγκρατιαστὴς, Περιοδονίκης, Παλαιστὴς, et, ex alia ueteri Inſcriptione, M. AVRELIVS DEMOSTRATVS, Παγκρατιαστὴς, Περιοδονίκης, Πύκτης. Hi omnes in Sacris Agonibus coronati Παράδοξοι

II

Neque eo ſecius, uoce aliquanto largius accepta, et Poetae, et Muſici, et Scenici artifices, ſuos habent Paradoxos. Solent hi nimirum, gymnicorum imitatione, quaedam ingenii certamina conſtituere, ut, qui, uel carmine, uel inſtrumentis muſicis, uel actione, ceteris antecellat, is ſingulare praemium ferat. Spectat ad primum ordinem, in quo Epicorum pariter ac Melicorum ſtudia uigent, non ſolum ARISTOMACHA, Poetria Erythraea, quae, teſte PLVTARCHO, parta in Iſthmiis uictoria, libellum aureum dedicauit, ſed etiam uerſus aliquot LVCIANI, in Anthologia Graeca, quorum initium hoc eſt.

Ποιητὴς ἐλθὼν εἰς Ἴσθμια πρὸς τὸν ἀγῶνα,

Poeta ueniens Iſthmum ad certamen.

Quod

Quod utrumque SPANHEMIANA[c] induſtria occupauit. Memorat quoque PLVTARCHVS[d] SOSICLEM Coronenſem, Πυθίοις νενικηκότα Ποιητὰς, *uictorem in Pythio certamine Poetico declaratum.* Suntque praeterea documento recitationes Poematum Homericorum, ἐν τοῖς τῆς μουσικῆς ἄθλοις, ut loquitur ISOCRATES[e], certatim inſtitui ſolitae, de quibus ita EVSTATHIVS, ad initium Iliados. Οἱ ἀγωνιζόμενοι ἐν ᾠδῇ Ὁμηρικῇ, καὶ νικῶντες, ἄρνα ἐλάμβανον ἔπαθλον. *Qui, cantandis Homeri carminibus, uicerant, agnum, praemii loco, ferebant.* Ac L. VALERIO, L. F. PVDENTI, qui in Iouis Capitolini Certamine CORONATVS. EST. INTER. POETAS. LATINOS. OMNIBVS. SENTENTIIS. IVDICVM. ab Hiſconienſium plebe ſtatuam

c) SPANHEM. *Epiſt. I. ad Morell. p. 42. 43*

d) PLVTARCH. *Sympoſ. lib. II. quaeſt. 4. p. 638*

e) ISOCRAT. *Panegyr. p. 108.* Vbi obſeruo, Auum meum, τὸν μακαρίτην, CHRISTFR. VAECHTLERVM, et ad AELIANVM Perizonii p. 749, et ad CROESII Homer. Hebraeum p. 64, et ad ACTA ERVD. 1705. p. 77, haec manu ſua aſcripſiſſe in ora. *Iſocrates in Paneg. Graecos honoraſſe poeſin Homeri* ἔν τε τοῖς τῆς μουσικῆς ἄθλοις, *ubi Wolfius, tum in certaminibus publicis, perperam.* Erit hoc fortaſſe intelligendum de primis editionibus ISOCRATIS. Certe in poſterioribus melius idem VOLFIVS, *in certaminibus Muſicis.* Sic enim habet et *Baſileenſis*, A. 1570. in forma ordinis maximi, et *Geneuenſis*, A. 1651. in forma ordinis octaui, utraque VOLFIANA

ſtatuam decretam fuiſſe, Saxum antiquum [f] indicat. Sed de altero genere, ut Cithariſtarum, Citharoedorum, Tibicinum, agones Muſicos, Iſthmiis, Nemeis et Pythiis, receptos, praeterea Citharoedorum illa certamina, quae NERO, pariter ac Tragoedorum, in Olympia induxit, itemque PYTHOCRITVM, ſexies Tibia uictorem, et quae alia denique magnus SPANHEMIVS [g] diligenter conquiſiuit, ne attingam, ſunt ſolemnes illi conuentus, a Communi Ionum, in honorem Dianae Epheſiae, celebrati, quibus nomen Ἐφέσια, in quibus, auctore THVCYDIDE [h], καὶ ἀγὼν ἐποιεῖτο, καὶ γυμνικὸς, καὶ μουσικὸς, *certamen quoque, tam gymnicum, quam muſicum, fiebat.* Vbi uelim annotetur, Ἀττικώτατον ſcriptorem ἀγῶνα Μουσικὸν dicere, contra IVLIVM POLLVCEM [i], quo iudice, Attici non facile aiunt ἀγῶνας μουσικοὺς, ſed μουσικῆς, quod aliter eſſe, ex uerſu ARISTOPHANIS, in Pluto, Ποιεῖς ἀγῶνας μουσικοὺς καὶ γυμνικοὺς, STEPHANVS et

f) SMET. *Antiq. Inſcript. Append. II. p. 152. n. 22.* GRVTER. *p. 332. n. 3.* BVLENGER. *de Theatro l. 58. p. 972. Tom. IX.* GRAEV. CVPER. *ad Apotheoſ. Homer. p. 39*

g) SPANHEM. *l. laud. p. 37. 38. 40. 42. 44*

h) THVCYD. *lib. III. p. 242*

i) POLLVX *III. 142*

et SYLBVRGIVS docuerunt. At tamen idem ſcriptor Onomaſtici, cetera minime ſpernendus, etiam in XENOPHONTE, ut IOACHIMVS CAMERARIVS [k] ſummonet, et in PLATONE atque ARISTOTELE, ut OBERTVS GIPHANIVS [l], et in HERODOTO, PLATONE, AESCHYLO, MENANDRO, aliiſque praeſtantibus ſcriptoribus, ut FRANCISCVS VAVASSOR, [m] multa damnat, in quo tamen POLLVCEM magnopere purgare ſtudet uir Graecarum literarum atque omnis eruditionis ſcientiſſimus, TIBERIVS HEMSTERHVSIVS [n]. Ἐρωτικὰ uero, quae Theſpienſes, quinto quoque anno, celebrant, ἆθλα, οὐ μουσικῆς (ἴσ. μουσικοῖς) μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀθληταῖς, πιθέντες, *praemiis, non modo Muſicis, uerum etiam Athletis, propoſitis*, PAVSANIAS memorat, ſed emendatus a MEVRSIO [o], quod FASOLDO [p] tacendum non erat, quanquam Cl. KVHNIVS [q], emendationem minus eſſe neceſſariam, arbitretur. Magna cum pompa certamen Olympicum a COMMODO Imperatore Antiochiae

k) CAMERAR. *Commentat. de Xenophonte*

l) GIPHAN. *ad Ariſtot. Ethic. VIII. 9*

m) VAVASS. *de Ludicr. Dict. Sect. I. cap. 6. p. 107*

n) HEMSTERHVS. *Praef. ad Polluc. p. 40. 41*

o) MEVRS. *Graec. Fer. lib. III. p. 113*

p) FASOLD. Ἱερολογ. *Graec. Decad. VI. feſt. 9*

q) KVHN. *ad Pauſan. Boeotic. p. 771*

ochiae instituitur, in quo alii, teste MALALA r), luctando, alii currendo, οἱ δὲ ἐσάλπιζον, *alii tuba cantando*, id est, uoce largius accepta, Musicis Instrumentis, *certant*, ut EDMVNDVS CHILMEADVS probe interpretatus est. Elegans est rariorque Numus Musei Brandenburgici s), feminae caput signans, quae in titulo dicitur ΝΙΚΩΚΛΙΑ ΗΡ· *Nicoclia Herois*, estque Lauro redimita. in auersa parte Lyra sex chordarum, ut, indicium fieri, credas, uictoriae cuiusdam, a nobili Citharistria, idcircoque Heroidos ornata elogio, deportatae, quanquam doctissimus BEGERVS, uictoriam quandam, Cithara decantandam, hic reperiri, censeat. Comparetur aliud Numisma, *Mytilenaeorum* t), e Mu-

r) MALAL. *Chronograph. P. I. p.* 378

s) BEGER. *Thes. Brand. Tom. I. p.* 278

t) *Mytilene.* Ita malo, quam Mitylene, etsi haud sim nescius, ultimum plerosque libros Graecorum ac Romanorum iuxta praeferre, ut ἡ Μιτυλήνη apud STRABONEM, et apud HORATIVM *pulchra Mitylene.* Sic in Codd. N. Foederis ACT. APOST. XX, 14. ἤλθομεν εἰς Μιτυλήνην, ubi unus Scriptus Alexandrinus, parumper diuerse, Μιτυλίνην, teste MILLIO. At maior nobis utique debet esse Numorum ueterum auctoritas, propterea, quod ipsius urbis sessores eos cuderunt, ut ab his sane optima sit petenda nominis scribendi ratio. His in Numismatis non modo ΜΥΤΙ. id est, *Mytilenaeorum*, ut VAILLANT. *Num. Impp. Graec. p.* 363. et NICOLAI *de Sigl. Vet. cap.* 23. *p.* 165. siglam exponunt, uel, quod addendum, ΜΥΤ. et ΜΥΤΙΛ. per compendium scriptum inuenias, sed etiam, pleno perfectoque nomine, nunc ΜΥΤΙΛΗΝΗ, nunc ΜΥΤΙΛΗΝΗΣ, nunc ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ.

e Museo SEGVINIANO [u], muliebre caput ostendens, cum epigraphe ΙΟΥ· ΠΡΟΚΛΑΝ· ΗΡΩΙΔΑ· *Iuliam Proclam Heroida.* Sedet, ab altera parte, APOLLO citharizans. Videtur ergo haec ipsa Procla, tam illustre magnificumque cognomentum in certamine quodam Musico Cithara sibi peperisse, eaque uictoria APOLLINI, principi huius artis, a Mytilenensibus ascribi. Huius generis contentionibus Tibicinum Ci-

M tha-

Cuiusmodi Numum HVB. GOLTZIVS *Insul. Graec. Tab. XIV. 9.* diuulgauit, alium L. BEGERVS *Thes. Brand. Vol. III. p. 133.* alium TIB. HEMSTERHVSIVS *ad Pollux. p. 1027. n. 3.* duos alios Editor Musei Francogall. *Tab. I. 2. 3.* Aliquot L. HOLSTENIVS ad *Stephan. p. 216.* descripsit, plures autem, e suo aliorumque penu antiquitatis, IO. HARDVINVS *Num. Popp. p. 333. sqq. 581. sq. 606.* Nec adhuc, in tanta copia Numorum huius ciuitatis, ullus repertus est, in quo prima syllaba ι haberet; altera υ. ΜΥΤΙΛΗΝΑ etiam in Graeco Marmore GRVTERIANO *p. 1118. n. 7.* ut, stylum Lapidarium apte consentire, uideas, cum Orthographia Numaria. Haudquaquam enim nos mouet Lapis Romanus apud GRVTER. *p. 474. n. 8.* qui MITYLENIS praefert. Cum enim locus, ubi extet Inscriptio, non addatur, perite CELLARIVS *Notit. Orb. Antiq. III. 2. p. 13.* iudicat, incertum manere, rectene et cum cura Lapis descriptus sit. Nec uero antiqui scriptores adeo tenaces sunt istius, quam diximus, scripturae, quin ipsis Numis interdum accedant. POLLVCEM *IX. 84.* huc testem afferre, nihil opus est, quippe qui non, ut HARDVINVS *l. l. p. 334.* οἱ Μυτιληναῖοι affert, sed οἱ Μιτυληναῖοι, parique modo post paullo *IX. 93.* εἰς Μιτυλήνην. et ἐν Μιτυλήνῃ. Sicuti PTOLEMAEVS *Geograph. V. 2. p. 120.* non scripsit *Mytilené*, sed huius Interpres, ipse uero Graece Μιτυλήνη. Nec *Mytilenen* uel PLINIVS dixit, ut eidem HARDVINO *l. l. p. 333.* uisum, uel VENVSINVS uates et MARTIALIS, ut ad STEPHANVM affert TH. DE PINEDO, sed *Mitylenen* habent, non minus Historicus, quam uterque Poeta.

tharoedorumque locus in Theatro quondam datus est, Θυμέλη dictus, quam uocem probam esse, negat PHRYNICHVS[x], et, ὀρχήστραν dici, mauult, uir utique πολυμαθέστατος, at fastidiosior ueterum censor, qui, cum Attica dicendi genera solicitius conquirere paret, bonae notae uocabula, optimisque auctoribus frequentata, non nunquam improbat, ob id ipsum a doctis uiris, nominatim DAVIDE HOESCHELIO, ipsoque THOMA MAGISTRO, nec iniuria, casti-

At STEPHANVS BYZANTIVS emendatius, Μυτιλήνη, et Μυτιληναῖος. Atque VITRVVIVS *de Architect. I. 6. In insula Lesbo opidum Mytilene magnificenter est aedificatum.* Auctor etiam incertus περὶ Βαρβαρισμοῦ, a Cl. VALCKENARIO nuper editus e MS. Lugdunensi, et emendatus, *p. 195.* eandem rationem scribendi ita ueram agnoscit, ut Μιτυληναῖον Barbarismis relinquat, ac potius, Μυτιληναῖον dicendum, putet, esse, Ἀπὸ γὰρ τοῦ Μύτωνος τοῦ κτίστου Μυτιλήνη καλεῖται. *Namque a Mytone conditore Mytilene nomen gerit.* Quam rationem idem ille subiungit. Et, quanquam obscurior sit nominis origo, cum, STEPHANO teste, alii ad MYTILENEN, MACARIS filiam, alii ad MYTILEN, urbis conditorem, alii ad MYTONEM, filium NEPTVNI et MYTILENAE, eam referant, tamen, in tanta uarietate opinionum, prima syllaba semper manet eandem. Itaque IS. VOSSIVS *Obseru. ad Pomp. Mel. II. 7. p. 201.* a VALCKENARIO iam laudatus, etsi, *utrumque ueteres dixisse*, pronuntiat, *Mytilene et Mitylene*, *prius* tamen *illud longe rectius* esse, iudicat. Quem tamen locum ISAACI Celeb. ERNESTI, *Indice Geograph. in Cicer.* u. *Mitylene*, ita accepit, uti, utrumque rectum esse, VOSSIVS docere uoluerit. CELLARIO denique, l. laud. Μυτιλήνη, quod constantissima consensione Numi ostendant, *sine dubio genuina et antiqua scriptura* uidetur

u) SEGVIN. *Sel. Numism. c. 2. p. 74*

x) PHRYNICH. *Eclog. Dict. Attic. p. 26*

castigatus. Hic, uelut in transcursu, emendetur Lexicon MS. CYRILLI [y], ex quo nuper haec attulit eruditissimus ALBERTI. Θυμέλη. τράπεζα, ἐφ᾽ ἧς ἑστῶτες ἐν τοῖς ἀγροῖς ᾖδον. Mendose, ἐν τοῖς ἀγροῖς. Sine dubio uera lectio, ἐν τοῖς θεάτροις. Erat enim pars Theatri, θυμέλη, auctore POLLVCE [z]. Talis Tibicen MIDAS Agrigentinus, tibiae certamine mirabiliter uincens, anno primo Olympiadis septuagesimae primae [a]. Illustrius exemplum APOLLINIS, Phrygium tibicinem Cithara superantis, quam fabulam, ex Graecis, DIODORVS SICVLVS, APOLLODORVS, PHILOSTRATVS, PALAEPHATVS, NONNVS, ex Latinis, PLINIVS, APPVLEIVS [b], OVIDIVS, HYGINVS,

y) ALBERT. *ad Hesych. Tom. I. p. 1743. not. 2*

z) POLLVX *IV. 123*

a) SCALIGER Ἱστορ. Συναγ. *p. 318*

b) Melius ita, *Appuleius*, quam Apuleius, ut uulgo. Illud, geminata litera, Numi Lapidesque malunt, ut diximus in *Specim. Obs. in N. T. ex Num. p. 29.* Sic APPVLEIVS ter in SPONIANO Marmore, *Miscell. Sect. IV. p. 142.* Vide ergo, quo iure CARPZOVIVS, IC. Lipsiensis quondam πολυμαθέστατος, *in Reinesiano Indice XIX.* u. *Geminatio*, nomen *Appuleius* in iis ponat, quae habeant *geminationem consonantium non necessariam.* Nec obstat APVLEIVS, ut scribitur in Numo Contorniato eiusdem Madaurensis, apud ANDR. MORELLIVM *Specim. rei Numar. Tab. III. 1.* Primo enim, quis fidem praestat huius Numismatis. Deinde, VILICVS, VILICO, pro *Villicus*, *Villico*, in Saxis literatis, apud CAROL. CAES. MALVASIAM, *Marm. Felsin. Sect. III. cap. 1. p. 85. 86. 92. 95. 96. 97.* APOLINI, pro *Apollini*, in Numo LICINII VALERIANI,

GINVS, aliique complures [c], memoriae prodiderunt. MARSYAS enim hic, ὁ παρ᾽ ἀξίαν σεμνύνων τὴν αὑτοῦ μουσικὴν, *plus iusto musicam ostentans suam*, ut ait ARISTIDES QVINTILIANVS [d], artis suae fiducia, ipsum Apollinem ad certamen tibiarum prouocat, a quo uoce citharaque uictus, nectitur arbori, corioque detracto, temeritatis proiectae luit poenas, idcirco Musicis arrogantioribus in exemplum datus [e]. Quod triste spectaculum, ob uictoriam certaminis Musici memorabile, cernas, licet, non in Numis solum [f], sed in Gemma etiam duplici, altera AVGVSTINIANA [g], quam postea quoque MAFFEIVS [h] et PERIZONIVS [i] ediderunt, altera GORLAEANA [k], praeterea in Vrna ferali prisci operis, apud PETRVM SANCTIVM BARTOLIVM [l], item in Sigillo ueteri,

apud OISELIVM, *Thes. Num. Tab. XXXVIII. 3.* VITELIVS, pro *Vitellius*, in Numo huius Imperatoris, quem VAILLANT describit, *Num. Impp. Vol. I. p. 27.* SISENA, SVLA, CINA, pro *Sisenna, Sulla, Cinna*, in Denariis antiquis, teste SPANHEMIO, *de Praest. Numism. Diss. II. p. 79. edit. II.* Ergo, consimili errore, APVLEIVS, pro *Appuleius*

c) CASP. BARTHOLIN. *de Tibiis Vet. III. 2*

d) ARISTID. QVINTIL. π. Μουσικῆς, *lib. II. p. 109. edit. Meibom*

e) Ἐπιστολ. Ἑλλην. ἀμοιβ. *p. 159. edit. Cuiac*

f) DE VILDE *Select. Num. p. 177. 178*

g) AGOSTINI *Gemme Antiche P. II. n. 9*

h) MAFFEI *Gemme Antiche P. I. n. 43*

i) PERIZON. *ad Aelian. p. 260*

k) GORL. *Dactylioth. P. I. n. 111*

l) BARTOL. *Vet. Sepulcbr. Rom. et Etrusc. Fig. XCV*

ueteri, apud GVILIELMVM CHOVLIVM[m], quod tamen LEONARDVS AVGVSTINVS suspectum habet, nosque ipsi, fidem CHOVLII non nunquam uacillare, exemplo Numi DOMITIANI Saecularis alias probauimus, denique in duabus Statuis antiquae artis eximiis, quarum altera Romae cernitur in Villa Iustiniana[n], altera, eaque multo accuratior, in illustri Xysto POTENTISSIMI REGIS ac PRINCIPIS ELECTORIS nostri Dresenensi[o]. Scena denique habet suos, ex Tragoedia et Comoedia, uictores, quos quidem agones fuisse ab Isthmiis lege prohibitos, sed inuectos in Pythia, liquet ex LVCIANO, PLVTARCHO, PHILOSTRATO[p]. Qui locus certaminis λογεῖον dictus est[q], in eoque hircus uictori praemio datus, ut ueteres Graecorum Epochae testantur[r]. Vnde HORATIVS[s].

Carmine qui Tragico uilem certauit ob hircum.

Tales in Tragoedia uictorias, AESCHYLI, SOPHOCLIS, EVRIPIDIS, ANAXANDRIDAE, aliorumque, diligenter ueteres annota-

m) CHOVL. *de Relig. Vet. Roman. p. 177*

n) GRONOV. *Thes. Antiq. Graec. Tom. I. num. X*

o) *Recueil des Marbres Antiques dans la Galerie* DU ROI DE POLOGNE *a Dresden. num. LXV*

p) SPANHEM. *Epist. I. ad Morell. p. 41. 45*

q) PHRYNICH. *in Eclog. Attic. p. 26*

r) MARM. OXON. *p. 168*

s) HORAT. *de Art. Poet. u. 220*

notarunt [t]. Sic quidam XENOCLES, de quo ſcriptum eſt apud AELIANVM [u], Olympiade XCI, uincit EVRIPIDEM in certamine Tragico fabulis quatuor, non tribus, ut GVLIELMVS LLOYDIVS [x] ſcribit, leuius inſpecto loco Hiſtorici. Habet etiam Agon ille Olympicus Antiochenſium, de quo paullo ante dictum eſt, cum uiros, τραγικὰ μέλη modulantes, tum uirgines τραγωιδούσας, teſte eodem MALALA [y]. Quid, quod ipſe NERO, homo, plus lyrae ſeruiens, quam imperio, id quod APOLLONIVS Tyaneus ac DIO CHRYSOSTOMVS ei exprobrant [z], ἐν τοῖς κιθαρωιδοῖς ἠγωνίσατο, *inter Citharoedos certauit*, ut DIO prodit XIPHILINVS [a], ſiue, ut de eodem TRANQVILLVS [b], *Tragoedias cantauit perſonatus*. Qua re eundem, forma APOLLINIS Citharoedi, longa ueſte, quam THEMISTIVS ϛολὴν κιθαρωιδικὴν nominat, quaque ad pedes demiſſa tunica, ΤΡΑΓΩΔΙΑ, in Apotheoſeos Homericae Tabula, cernitur, indutum, citharizantem, et cantantem ad chordarum ſonum, ueteres Numi, apud IACOBVM OISELIVM

t) MARM. OXON. p. 169. 170. 171. 172

u) AELIAN. *Var. Hiſt.* II. 8

x) LLOYD. *ad Olymp.* XCI. 1

y) MALAL. *Chronogr.* P. I. p. 379

z) FEDER. MORELL. *Schol. ad Dion. Chryſoſt.* p. 16

a) XIPHILIN. *in Neron.* p. 173

b) SVET. *Ner.* cap. 21

SELIVM [c], OCTAVIVM FERRARIVM [d], LAVRENTIVM PATAROL [e], et alios, delineant

III

In hoc triplici autem genere concertationum, ut iam illuc reuertar, uincit noſter ille Παράδοξος. Quod ut perſpicuum fiat, uelim, huc aduocetur, ex titulo Florentini Lapidis, TIBERIVS CLAVDIVS ALEXANDER, ΠΟΙΗΤΟΥ ΠΑΡΑΔΟΞΟΥ nomine glorioſus. Referatur eodem, et AELIVS AGATHEMERVS, cui CAII praenomen reſtituimus, ΚΙΘΑΡΩΔΟΥ ΠΑΡΑΔΟΞΟΥ appellatione eodem in Marmore nobilis, et VENTIDIVS SOTA, ΠΥΘΑΥΛΟΥ ΠΕΡΙΟΔΟΝΕΙΚΟΥ ΠΑΡΑΔΟΞΟΥ· Πυθαύλην autem, nam longe aliud Πιθαύλης [f], quae tamen a quibuſdam confunduntur, *Pythaulen* Latine nominat HYGINVS, de quo plura ad VOPISCVM ὁ πάνυ. SPANHEMIVS [g], *ad Pythium modum tibias inflantem*, reddit. Poſſis etiam *Tibicinem*, *qui Pythia*

 cantat,

c) OISEL. *Theſ. Tab. XXXVIII.* 1

d) FERRAR. *de Re Veſt. Part. II. lib. III. cap.* 13

e) PATAROL. *ad Panegyric. Tab. I.* 1. *Oper. Tom. I.*

f) BVLENGER. *de Theatro II.* 30.

g) SPANHEM. *Epiſt. I. ad Morell. p.* 44.

cantat, cum HORATIO [h], interpretari, ita nominatum, quod Πυθικὸν αὔλημα, seu *νόμον αὐλητικὸν* Πυθικὸν, de quo apud POLLVCEM [i], cantare didicerat. Ceterum, adiectione Περιοδονίκου, talem Musicum Marmor idem indicat, qui in Agone Olympio, Pythio, Nemeo, Isthmio, tibiarum cantu uicerit uno die. Ex quo potest intelligi, uocabulum Περιοδονίκης a Gymnastica transferri ad Musicen. Nec praetereantur, tum AVLVS OENEVS et TIB. CLAVD. ALEXANDER, tum AVREL. ANCHARENVS PHAEDIVS et MENECRATES ASSYRIVS, illi ΤΡΑΓΩΔΟΥ ΠΑΡΑΔΟΞΟΥ, hi ΚΩΜΩΔΟΥ ΠΑΡΑΔΟΞΟΥ, designatione clari, ut idem Saxum literatum loquitur. Adde Mimos, ex ueteri Comoedia potissimum oriundos [k], itemque Pantomimos. *Mimos* certe *Paradoxos* uetus enarrator IVVENALIS nominat, eamque rationem appellandi VOSSIVS [l], pater, aeuo posteriori relinquit, interpretationem tamen neuter adiungit. At FALCONERIO [m] caussa in promptu est, *quod spectatoribus, ut plurimum,*

h) HORAT. *Art. Poet.* u. 414. 415

i) POLLVX *IV.* 81. 84

k) SCALIGER *Poetic. III.* 96. p. 340

l) VOSS. *Etymolog. L. Lat.* u. *Paradoxon*

m) FALCONER. *Not. ad Inscript. Athlet. p.* 45

rimum, improuiſos atque inexpectatos ſe prodere, ſoliti eſſent. Hic uero nullam ego temporis, modi, uictoriae denique, notam uideo, quae cuncta inſunt in uoce Παράδοξος, ſi quidem Athletam exprimat. Verius, credam, eiuſmodi Mimos indicari, qui, facete mirabiliterque dictis in ſcena cum aliis contendentes, ſupplodentis multitudinis iudicio, ceteros arte ſua ſuperaſſe, cenſerentur, quod ad minimum bis, uel etiam pluries, eodem die accidiſſe, neceſſe erat. Quare eoſdem Mimicos Παραδοξολόγους appellari, nouimus, conſueuiſſe [n]. Pantomimi Παραδόξου dat exemplum M. VLPIVS, maximus Pantomimorum, CORONATVS ADVERSVS HISTRIONES ET OMNES SCAENICOS, ut eſt in ueteri Lapide, quem ſupra adduximus. In tribus hiſce ordinibus, qui ſeiuncti ſunt a ludis gymnicis, Παράδοξοι, ut breuiter rem complectar, talem perſonam ſuſtinent, quae, aut recitando carmine, aut tibia citharaue cantando, aut ſcenicam actionem, ſiue id cantu fiat, ſiue dictis, ſiue geſtu motuque corporis repraeſentando, adeo excellit, pluries ut uno die, facta cum ceteris commiſſione, diſcedat ſuperior

n) SALMAS. *ad Vopiſc. p. 384*

IV

Quod si compertum fuerit, aliarum quoque disciplinarum artiumque certaminibus usu uenisse, quidni uero poterat usu uenire, ut uni interdum aliquot praemia decernerentur eodem die, tum is certe Παραδόξου elogio minime priuandus foret. Sic ISOCRATEM, lumen illud Atticae eloquentiae, testatur PHILOSTRATVS [o], Panegyricum suum, opus annorum decem, uel, ut alii uolunt, quindecim, in ludis Olympiis dixisse, LEONTINVM autem GORGIAM, excellentem Oratorem, eximiam eloquentiae periclitationem, in eadem quinquennali celebritate, ferunt, fecisse [p], et, PALFVRIVM SVRAM, seu PALFARIVM, ut SALMASIANVS Codex legit, Capitolino certamine de Oratoribus coronatum, auctor TRANQVILLVS [q] est. Viget certamine Graecae Romanaeque facundiae Ara Lugdunensis, de qua, praeter LAEVINVM TORRENTIVM [r], et alios, PETRVS BERTHALDVS [s], ex TRANQVILLO ac IVVENALI, explicat. Sino λόγων ἆθλα, quae PONTONI suo, iuueni Oratoriae artis apprime perito, AENEAS Sophi-

o) PHILOSTRAT. *Vit. Sophist. I. 17. p. 505*

p) PAVSAN. *II. Eliac. c. 17. p. 495*

q) TRANQV. *Domit. cap. 13*

r) TORRENT. *ad Tranquill. Calig. c. 20*

s) BERTHALD. *de Ara cap. 26. p. 376. 377*

Sophistes ominatur [t], itemque Sophistarum ἐπιδείξεις, in Olympiorum aliorumque solemnitate Ludorum haberi solitas, unde eaedem inscriptae orationes, Ὀλυμπικοὶ λόγοι, Παναθηναϊκοὶ, Πανηγυρικοὶ, qua de re copiose et docte LVDOVICVS CRESOLLIVS [u] disserit. Audit THVCYDIDES puer HERODOTVM, Historias suas recitantem Olympiae, itaque ea re, quasi diuino quodam instinctu perculsus, commouetur, ut lacrymas largiter fundat, quod animaduertens, ipse HERODOTVS, OLORO, patri, gratulatur felicitatem ingenii filii, optimarum artium amore flagrantis, ut est apud SVIDAM [x]. PANAENI, pictoris, propinqua cognatione PHIDIAE coniuncti, certamen Picturae cum TIMAGORA Chalcidensi, ex PLINIO VOSSIVS [y] refert, in eo memoria lapsus, quod uictoriam PANAENO tribuit, qua TIMAGORAM potitum, PLINIVS dixerat. Huius de affinitate cum pictore PHIDIA, lubet, aliquid interponere hoc loco, prout, sententiarum diuersitas unde orta sit, probabiliter sane appareat. Hunc enim, qui minus recte, aliis PANAEVS scribitur, aliis PANTAE-

t) *Epist. Vet. Graec. p. 424. Collect.* CVIAC.

u) CRESOLL. *Theatr. vet. Sophist. III. 6*

x) SVID. *u.* Θουκυδίδης.

y) VOSS. *de Graphice §. 3 p. 77*

PANTAENVS, aliis PANDAENVS, sed apud CVPERVM [z], forte operarum uitio, PANDAEMVS, *Fratrem* PHIDIAE PLINIVS [a] et PAVSANIAS [b] uocant, *Filium* autem idem scriptor Historiae Naturalis, alio loco [c], ut in Codicibus reperit magnus CASAVBONVS [d]. Hac in uarietate, dum de exquirendo uero sum solicitus, duplex uia se aperit. Scripsit aliquis Graece, ut uidetur, Πάναινος, ὁ τοῦ Φειδίου. *Panaenus, Phidiae.* Ἐλλειπτικῶς. Iam, cum et υἱὸς et ἀδελφὸς iuxta reciperet orationis defectus, facile res extracta in dissensionem est. Tali modo CIRCEN, ut a ueteribus ad APOLLONIVM Criticis [e] annotatum meminimus, alii AEETAE sororem, alii filiam, existimarunt. Nempe hi inuenerant, Κίρκη, ἡ τοῦ Αἰήτου, in quo, praecisius dicto, tam ἀδελφὴ, quam θυγάτηρ, intelligi poterat. En fontem confusionis. Sic, sacris in literis [f], Ἰούδας, Ἰακώβου. Vbi SYRVS Interpres, quem secutus uidetur LVTHERVS noster, quasi deesset υἱὸς, ܝܗܘܕܐ ܒܪ ܝܥܩܘܒ IVDAS,

FILIVS

z) CVPER. *ad Apotheos. Homer. p. 107*

a) PLIN. *Hist. Nat. XXXV. 8*

b) PAVSAN. *I. Eliac. c. 11. p. 402*

c) PLIN. *H. N. XXXVI. 23*

d) CASAVB. *ad Strab. p. 130*

e) SCHOL. *Apollon. III. 200*

f) LVC. *VI. 16.* ACT. APOST. *I. 13*

FILIVS *Iacobi.* Sed hic rectius ἀδελφὸς omissum censeri, ut IVDAS *frater* IACOBI dicatur, patet ex aliis clarioribus locis [g]. Pari modo, et consimili errore, potuit PANAENVS ille, tum Filius, tum Frater, PHIDIAE existimari, praesertim ab his, quos longum aetatis interuallum a temporibus PANAENI disiunxerat. Sic mihi quidem uidetur. Sed aliud succurrit, idque, haud scio, an superiori respondenti rationi praeferendum. Dicitur idem PANAENVS, apud STRABONEM [h], Augusti saeculi scriptorem, PHIDIAE ἀδελφιδοῦς, hoc est, explicante HESYCHIO, ὁ τοῦ ἀδελφοῦ υἱός, *fratris filius.* Haec uox, uel ab imperito librario, uel a Critico δοκησισόφωι, facile in ἀδελφὸς, ἢ υἱὸς, immutata est. Hinc, quasi in dubio res uersaretur, PLINIVS, sub VESPASIANO, cum eoque PAVSANIAS, sub ANTONINIS, primo ascito, *Fratrem* dixit PHIDIAE, sed deinde, ad alteram uersus opinionem, *Filium* idem PLINIVS. Omnino ergo PANAENVS, quoniam magni apud nos est STRABONIS auctoritas, *Fratris Filius* fuit PHIDIAE, siue consobrinus. Sic *amicum* PHIDIAE VALERIVS MAXI-

g) MATTH. *XIII. 55.* IVDAE *Epist. vers. 1*

h) STRAB. *Geograph. lib. VIII. p. 244*

MAXIMVS[i] eundem potuit nuncupare. Sed mittamus iam PANAENVM, uictum a TIMAGORA publico artis ſuae certamine, quem non omiſit, in enumerandis priſci aeui Pictoribus, FRANCISCVS IVNIVS[k] V. C. nihil tamen ſolicitus de conciliandis diuerſe ſentientium locis ſcriptorum. Tamen his in certaminibus, ingenii oſtentandi ergo ſuſceptis, nondum talis mihi repertus eſt, quem Παραδόξου nomen amplitudinemque, credam, poſſe tueri. Sed fortaſſis alii, qui conſultiores ueteris ſunt hiſtoriae, recordabuntur eiuſmodi exempla

V

Ceterum, illud monendum, arbitror, qui ſuperiores ex commiſſionibus Poetarum, Muſicorum, Scenicorum, eo, quo dixi, modo, diſceſſiſſent, hos non modo Paradoxos, uerum etiam *Athletas* Paradoxos, recte uſitateque uocari, quamuis Palaeſtram non uiciſſent. Cur enim huc minus quadret uocabulum Ἀθλητὴς, quod tam late patet, cum deflectat ab ingenerata ſua notione. Omnino κυρίως, ac propria ui ſua, Gymnicum certatorem denotat, ſiue ſit ille παλαιςὴς, *luctator*, ſiue δρομεὺς, *curſor*, ſiue πύ-

i) VAL. MAX. *III. 7. extern.* 4

k) IVN. *Catalog. Architect. Mechan. Pictor. cet. p.* 140. 141

πύκτης, *pugil*, siue δισκοβόλος, *disci iaculator*, siue ἁλτικὸς, *saltu contendens*, ut praeclare docet accuratissimus ille proprietatis magister, IVLIVS POLLVX [l], ἀθλητὰς, probans, in gymnicis certaminibus, ἀγωνιστὰς, e contrario, in musicis ac scenicis, proprie dici. Quo modo XENOPHON, cuius illustrem perspicuitatem potissimum a proprietate dictionis, quam eidem Musae Atticae DIONYSIVS HALICARNASSENSIS [m] laudi tribuit, scimus, effectam, τῶν γυμνικῶν ἀγώνων ἀθλητὰς dixit aptissime, quem locum iam a PETRO FABRO [n] annotatum, meminimus. Tum uero, Graece loquentium usu consuetudineque, factum est, ut idem uocabulum aliorum quoque conflictantium laboribus adhiberetur, fere ut Persis, obseruante IACOBO GOLIO [o], جهلوان, *Athleta*, pro *Heroe* identidem sumi solet. Quanquam ergo HESYCHIVS, et SVIDAS, et PHAVORINVS, et AMMONIVS, quem non recte aliqui, nosque ipsi quondam, LEOPARDI, summi uiri, auctoritate decepti, HERENNIVM PHILONEM dictitabamus, PHOTIVS etiam, a Cl.

ALBER-

l) POLLVX *III. 143. 144*

m) DIONYS. HALIC. *Epist. ad Cn. Pompei. p. 131*

n) FABER *Agonist. I. 2. p. 5*

o) GOL. *Not. ad Alfergan. Elem. Astronom. p. 179*

ALBERTI [p] nominatus, Ἀθλοθέτας et Ἀγωνοθέτας ita diſtinguunt, illos ut γυμνικοῖς, hos μουσικοῖς καὶ σκηνικοῖς, aſſignent, idem tamen diſcrimen alios, ipſumque HESYCHIVM, negligentius curaſſe, ANTONIVS VAN DALE [q] ſummonet. Quare H. STEPHANVS [r], ut ſignificationis oſtenderet latitudinem, recte ἀθλητὴν, eum interpretatus fuit, *qui in quolibet certaminis genere exercitatus eſt.* Et PETRVS VICTORIVS [s], uir multiplicis et eximiae doctrinae copia foetus, ἀθλητὰς, docet, Graecis pariter ac Latinis omnes illos appellari, qui in aliquo artificio praeſtent ceteris, idque pluribus exemplis, ex DEMOSTHENE, ATHENAEO, DIONYSIO HALICARNASSENSI, VARRONE quoque, confirmat. Hac mente HIEROCLES [t] τοὺς τῶν Φιλοσοφίας ἀγώνων ἀθλητὰς, *Philoſophicorum certaminum athletas*, eos uſurpat, qui, Pythagoricae Philoſophiae praeceptis imbuti, tantum uirtute eniteant, humanaſque res ſuperent, uti, uelut ex ingenti certamine, quod PLATO dixerat τὸ τῆς ἀποθεώσεως γέρας,

p) ALBERT. *ad Heſych. Tom. I. p. 80. not. 25*

q) DALE *Diſſ. VII. ad Antiquit. et Marm. p. 517*

r) STEPH. *Theſ. L. Gr. Tom. I. p. 111*

s) VICTOR. *Var. Lect. XXIV. 9*

t) HIEROCL. *ad Aur. Carm. p. 226. edit. Needham*

γέρας, *praemium Consecrationis* auferant, atque Immortalitate donentur, qui sit φιλοσοφίας τελειότατος καρπὸς, *perfectissimus fructus Philosophiae.* Huc, parum abest, quin Lucernam ueterem sepulchralem, ex PETRO SANCTIO BARTOLIO [u], referam. In hac enim Pugilum par, acriter sese manibus affligentium, cum aspicio, uideor mihi sane cuiusdam Philosophi tumulum intueri, qui, uitam anteactam perpetui certaminis pugilationisque instar fuisse, posteris hac icone uoluerit in memoriam reuocare. Sed haec tantum in coniectura posita sunt. Nominat SVIDAS [x], ἄνδρα πολέμων ἀθλητὴν, quem dixeris Latine *bello strenuum et rei militaris peritum.* Sic POLYBIO memorantur aliquoties ἀθληταὶ τῶν κατὰ τὸν πόλεμον ἔργων, id est, interprete CASAVBONO [y], summi bellatores, longo usu confirmati. Qui quidem praeter alia, id erudite monet, ἀθλητὰς, *ueteranos milites*, interdum opponi τοῖς ἰδιώταις, seu tironibus, eodemque refert ἀθλητὰς τῶν ἔργων. Est nempe ἔργον hoc loco πόλεμος, seu μάχη,

N quam

u) BARTOL. *Vet. Lucern. Sepulchr. Part. I. Fig. XXIII*

x) SVID. *u.* ἀθλητής

y) CASAVB. *ad Polyb. p. 67 68*

quam rationem uocabuli, non tritissimam, IACOBVS DVPORTVS [a], V. C. ex ipso HOMERO, eiusque doctissimo Commentatore, EVSTATHIO, ex THVCYDIDE etiam, atque ARRIANO, comprobauit, quo modo dixit quoque, ut hoc addam, VELLEIVS [a], *exercitum maiori OPERI praeparare*, id est, ad grauius bellum instruere, et, alio loco, *consummatum OPVS*, hoc est, Pannonicum Dalmaticumque bellum. Instrumenta autem piscatorum ἀθλήματα nominantur THEOCRITO [b], quoniam haec, piscatorum manibus tractanda, eos exercent, ut notat AEMILIVS PORTVS [c]. Transfertur deinde ad Christianos, tot aerumnosae uitae laboribus, qui subeundi fortique animo perferendi sunt, pressos ac fatigatos, ut dicemus, neque ita multa post. Huc in primis tamen referantur Athletae ex Musicorum Scenicorumque agone. Dicit enim POLLVX, loco ante laudato, si deflectas a proprietate, hoc enim est apud eum βιάζεσθαι, quod Cl. KVHNIVM haud praeteriit, dicerent aliter Grammatici ἀκυρολογεῖν, uel καταχρᾶσθαι τῇ λέξει, uel ἁμαρτάνειν, uel οὐκ ὀρθοε-

πεῖν

a) DVPORT. Praelect. ad Theophrast. p. 269. 270.

a) VELLEI. II. 109. et 117.

b) THEOCRIT. Bucol. XXI. 9.

c) PORT. Lexic. Doric. in ἄθλημα

πεῖν [d], posse appellare et Διονυσιακῆς ἀγωνίας ἀθλητὰς, ut intelligantur *artifices Dionysiaci*, et ἀθλητὰς μουσικοὺς, tametsi aliter ex MS. uelit IVNGERMANNVS, et μουσικῶς, ἀθλητικῶς. Atque apud ipsum iam PLATONEM, in sexto de Legibus, οἱ περὶ τὴν μουσικὴν ἀθληταὶ obseruati ab eruditis sunt [e]. Relinquitur, ut intelligamus, et poetarum, et musicorum, et scenicorum, Παραδόξους recte eleganterque, quamlibet μεταφορικῶς, dici Athletas. Non is certe solus compte loquitur, qui studet generi dicendi proprio, nec id semper, in omnique oratione, locum habet, nisi tu uelis omnes immutationes uerborum, quas Graeci τρόπους appellant, penitus tollere. Est etiam, cum eleganter improprie loquimur, modo improprium uitio non laboret, quod, ut DONATVM, CHARISIVM, taceam, a FABIO [f], et incerto Soloecismi et Barbarismi Scriptore, quem, ex schedis ISAACI VOSSII in Bibliotheca Lugdunensi descriptum, Cl. VALCKENAER una cum AMMONIO, et aliis, nuper edidit, do-

N 2 cteque

d) VALCKENAER Praef. ad Ammonium, p. 24.

e) FABER Agon. [illegible] Iungerm. ad Pollux. l. laud.

f) FAB. Inst. Orat. VIII. 2.

cteque explanauit [g], recte reprehenditur. Certe ARISTOTELES [h], sed una uoce restitutus ab HEINSIO, de quo nihil ante cogitauerat ROBORTELLVS, in praeceptis poeticis illud ponit, ut uerbis nunc propriis utatur Poeta, nunc peregrinis, nunc tralatis. Atque etiam NONIVS MARCELLVS [i], in eo libro, quo Sermonis Proprietatem persequitur, non hanc unam ita commendat, quin simul intexat satis amplam, *de Impropriis*, tractationem, horumque usum muniat ueterum auctoritate. Quid, quod AMMONIVS Ἀκυρολογίαν, siue improprium dicendi genus, *impropriam dictionem* DONATVS [k] uocaret, libro singulari exposuit, nec dum in uulgus edito, quem Parisiis, in Bibliotheca Regia, custodiri [l], accepimus

g) AVCT. INCERT. π. Βαρβ. κ. Σολοικ. p. 193. 197. edit. Valcken

h) ARISTOT. de Art. Poet. cap. 25. p. 84. 85. Cantabrig. 1696.

i) NON. MARCELL. de Propr. Serm. cap. 6. p. 735. Collect. Godofr

k) DONAT. de Barbarism. p. 1770. Oper. Putsch

l) FABRIC. Biblioth. Graec. V. 7. p. 41

LOT
Nº 303

SALE 169

THE BCD LIBRARY
PART I

February 17, 2024

Kolbe & Fanning
Numismatic Booksellers
numislit.com

Tel: (614) 414-0855
Fax: (614) 414-0860

orders@numislit.com

141 W. Johnstown Road
Gahanna, OH 43230-2700